DE PIETATE ROMANA LIBELLUS IN QUATUOR PARTES DIUISUS...

Dirk : van Ameyden




VITTORIO
BIBLIOTECA
7
5 6
10

DE PIETATE ROMANA

LIBELLVS

In Quatuor Partes diuisus.

AVCTORE

THEODORO AMYDENO

IN ROMANA CVRIA

CAVSSARVM ADVOCATO.









ROMAE, Typis Iacobi Mascardi. 1625.

Superiorum Permissu.

Imprimatur; Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Præd. Sacri Palatij Apost. Mag.

PEREGRINIS

Ex Vniuerſo Chriſtiano Orbe Iubilæi cauſa Romam confluentibus.

THEODORVS AMYDENVS Salutem, & fraternum Amorem.




ON eo, Fratres, conſilio hunc quem vobis dico conſcripſi libellum vt anni Iubilei ſiue ſæcularis primordia, vnde dictus, quare inſtitutus illiusque miſteria vobis aperiam, & hinc deſiderio veſtro Romam viſendi Beatorum limina Apoſtolorum inuiſendi ſtimulos addam, (prçſtiterunt enim id ipſum plures melioris notæ & litteraturæ Viri, quorum labor & ſtudium non admittunt ſuccedaneam operam) ſed vt præſcios vos reddam eorum quæ coram eſtis experturi, vel ideò fideliori calamo à me recenſenda, ne alicuius vel minimi mendacij arguar, quod pari proſequor affectu odij, ac amoris ſinceram veritatem. Liquebit ex his quam impudenter Nouatorum in hanc Vrbem contumax furor

longe diuersa effutiat, & cum Romanum Pontificem, Christi, velint, nolint, in terris Vicarium, exosum habeant, maledicentiæ virus in locum in quo moratur temerariè euomant, illum Babilonem alteram vocitent, omnis libidinis & immunditiei prostibulum publicumque lupanar dicant, impotentiæ & superbiæ vnicum receptaculum statuant; denique diuinorum pariter ac humanorum iurium exlegem faciant. Idque fronte adeo perfricta, ore tam impudenti, ac si Vrbs Roma certissimum magnorum Heroum domicilium non in media iaceret Italia, sed apud Antipodas, aut si quæ alia fingi potest Orbis ora remotior. Non mirum ipsos ea voluisse ex libidine fingere, ex quibus non ignorarent nihil se preter iustissimam proborum indignationem & quod consequens est magnam dedecoris notam comparaturos, quia quod apud honestos probro, apud refractarios laudi ducitur, penes quos nihil tam rectè inuentum, nihil tam piè institutum, quod eorum non vellicet ac deprauet iniquitas, Quorum lingua, nihil perniciosius, quorum audacia nihil prodigiosius, quorum improbitate nihil execrabilius, quorum denique peruicacia adeò semper est iuncta mendacio, vt nisi hoc

ful-

fulciantur Scipione ipsa hæresis, quæ numquam in vero, sed arroganti quadam superbia Deum ipsum fingit, relligionemque, format arbitrio suo, funditus corruat necessum est. Longè sanè lateque patentem offerebat locus hic contendendi campum si quem reperisset contentionum amantem: Possem iusto stimulatus dolore in mendacissimos, stilum stringere, quæque illi falsò in lucem protulerunt verè aperto testimoniorum & rationum pondere obruere: Possem iacula retorquere, hastam hastæ, clypeum clypeo, Vmbonem Vmboni opponere: Possem vaferrimorum hominum impura diei otia, noctisq. non casta negotia mundo aperire; sed neque agam hostiliter nec quemquam vel læuiter sciens lædam tantum vbi opus & fas erit, ius meum, hoc est veritatem tuebor, & vt instituti mei ratio postulat historico magis quam apologetico more procedam. Ex ijs enim quæ a me solida veritate dicentur resultabit inuincibile falsitatis argumentũ aduersum eos qui secus senserint, vel scripserint. Libello hanc methodum præscribam vt primo loco contineat illa charitatis erga proximum opera, quæ vulgò corporalia dicũtur, mox spiritualia subnectar, deinde reliquam vniuersam in Deum pieta-

tem cursim vt scribendi ratio & tempus postulabit percenseat; postremò eam politicæ administrationis partem quæ aduenarum præcipuè quietem, & securam in Vrbe mansionem spectat, compendiosè, & dilucidè, quoad eius fieri poterit attingat, ea tamen veritatis sinceritate vt nedum quicquam aliter atque res est addatur, sed nec ipsæ res quæsitis verbis in maius tollantur. Vadem me statuo ea, quæ libellus referet omnia genuina esse; nihil appositum, nihil affictum. Rogatos proinde volo singulos Romam aduenturos vt si quid improbetur me conueniant, vadimonium enim meum ijs ita probabo vt tanquam suffecti vades accedere non dubitent: Deum verò Opt. Max. precor vt accessum, & abscessum vobis ex omnium bonorum voto & præcipuè meo largiatur prosperrimum.



SE-

SENATVI POPVLOQ. ROMANO.

THEODORVS AMYDENVS F.

SCRIPSI Quirites libellum de Romana, hoc est, vestra pietate. Librum debuissem; sed condonandum homini iudicialibus caussis distracto vt quod scribendum sibi ad publicam vtilitatem statuit id omisso prolixi sermonis fuco, nudis vt dicitur verbis, & quam potest breuissime exprimat. An labor hic meus reperturus sit fautores, qui acclament qui laudent, qui extollant; siue offensurus Archilochos qui damnent, qui corrodant, qui deprimant, hactenus mihi ignotum: probabit exitus. Vtcumque res successerit certum existimo, minori damno libellum hunc paruum immo imperfectum esse quam non scriptum. Consilium scribendi fuit, vt quæ coram in Belgij quibusdam locis & superiore Germania, de Romani Pontificis sacriq. collegij ac ipsius Vrbis impotentia, à nefarijs & peruer-


ſis hominibus quondam exaudiueram, ea tandem falſa eſſe præſentibus argumentis demonſtrarem. Quod ipſum iamdudum factum oportuit ſed dies diem trudit, & labimur in ſenium deſidioſi. Prouinciam hanc duplici de cauſſa vltro ſuſcepi. Et quod patria gloriarer ſummè Catholica (talis enim Buſcoducenſis ciuitas, & pietate nulli ſecunda) & vt Vrbi dominæ de me bene mærenti, vel minimum hoc grati animi indicium exhiberem. In ſuperiorem Germaniam: cum propemodum adhuc infans ab Andrea Card. Auſtriaco inter aulæ pueros eductus eſſem, & deinde etiam Romam perductus, hæſi ibidem dies aliquot valetudinarius, donec idem Card. Princeps optimus ex morbo in itinere Neapolim contracto fatis ceſſit. Poſt cuius obitum in Germaniam redij, & Belgium totum perluſtraui, præſertim Hollandiam, vbi modeſtior de Pontifice quam apud Rhenanos aut alios ſeductos populos habetur ſermo & quia Romam me vidiſſe inficias non ibam, interrogabar ſæpius, quam eſſet Romanus Pontifex in bello (hoc enim egerunt perpetua diſſidia vt nullus niſi miles in pretio ſit) ſtrenuus ſiue dux ſiue miles: ridebam ſane ſtolidam quæſtionẽ & Romanum Pontificem, nunquam cingulum meruiſſe, at

vetulum

vetulum esse & totos annos cultui diuino fuisse addictum sanctissimè deierabam: sed non inueniebam apud gentes fidem. Spiræ matrona nobilis adiurauit me per Deum cœli & terræ (vt eius verbis vtar) creatorem, patefacerem sibi an Romanus Pontifex (quem me vidisse affirmabam) esset homo reliquis mortalibus corporis habitudine similis? Ex quibus videre licet quam turpiter miserrimæ plurium Christianorum animæ, à peruersis Ecclesiæ Catholicæ, & ipsius veritatis hostibus deplorando sane exemplo in dies seducantur. Quibus vtinam valerem adimere caliginem, saltem in his minimis & ipso sensu patentibus: sperarem mihi ianuam aperiri, quà detectis seductorum technis & fraudibus sana & orthodoxa Ecclesiæ dogmata reciperent. Sed de his alias. Præsentis instituti est calumnias in Vrbem ab improbis structas, non verbis sed ipsis rebus bene gestis in medium allatis propellere: si studium probaueritis Quirites iam mei sum compos voti, nam vt hoc ingenuè fatear: Maiestas Romani populi (licet in vmbra rerum) tanti est apud me ponderis vt non grauiora vlla Regum sceptra. Senatum Populumq. Romanum potius (si voto agendum) quam quemuis Regum mihi deuinctum habeam. Et ne quis vos Quirites cum

terra-

terrarum imperio & animos dimisisse existimet; ostendam proximis Saturnalibus cum otium scribendi dabitur, connatam cœlo & solo magnanimitatem, vos neutiquam deseruisse auitæ fortitudinis & virtutum semina pectoribus vestris insita in nihilo deferbuisse, demum magnorum operum vos non minus ac prisci illi vestri, qui mundo admirationi fuerunt capaces esse; & si vaticinio locus ob egregiam vestram in Deum & Romanos Pontifices pietatem, rursus orbi dominaturos. Annuat votis supremum quod piè colitis numen.



DE PIETATE ROMANA

PARS PRIMA.

De Hospitijs Peregrinorum communibus.

CAPVT PRIMVM.

NIHIL est quod inter mortales societatem, humanitatemque conciliet, ac ius hospitalitatis, & vice versa nihil quod eosdem inter se alieniores reddat ac repudiatio communis hospitij. Hinc Christianis quibus præscripta lege neminem lædere fas est; tunc demum cum Ethnicis, qui nullam prius iniuriam Christiano nomini intulerunt est iustum bellum, quando ab ijs violatur ius hospitalitatis; quia non ciuili, sed naturæ, siue gentium primæua lege hoc ius introductum est. Antiqua & vana gentilitas cum Iouem suum philium, sodalitium, domesticum, fulguratorem, iusiurandicum, nubicogem, grandistrepum, & id genus alijs nominibus appellaret cognominũ corollario adij-

cie-

ciebat, hospitalem, vel quia hospitij ius sub Iouis, hoc est Deorum Maximi esset tutela, vel quia sub Ioue, hoc est sub Dio, nē dum mortales, sed singula animantia receptaculum & quietem inuenirent, vel quia supremo Deorum summam virtutem conuenire existimarent. Sanè vna hospitalitate, nihil apud homines sanctius, nihil Deo acceptius, sacra Christianorum religio eam non consilio suadet, sed præcepto imperat, *Frange esurienti panem tuum, egenos vagosq; induc in domum tuam*. Est autem non modo priuatorum ciuium, verum etiam ipsarum Vrbium summa laus priuatas & publicas domos patere peregre venientibus. Vt hospitalitatis institutum duplex est, publicum videlicet & priuatum, ita duplex apud Græcos inuenit nomen: priuatum illi ἰδιοξενίαν: publicum προξενίαν, hospitium vero ipsum ξενοδοχεῖον vocant. De priuato nobis, quoniā gesta priuata in paucorum sunt notitia non erit sermo, sed de publico tantum vt quam longè in eo Vrbs Roma cæteras Orbis ciuitates, vt communem omnium parentem decet, vel ipso liuore iudice excellat, demonstremus.

Primum omnium Hospitiorum, quo Peregrini & aduenæ quicumque & quocumque

tem-

tempore benignè & humanissimè excipiuntur est Hospitium sanctissimæ Trinitatis prope pontem, qui dicitur Xisti, à Xisto IV. Pontifice Maximo eius structore. Habuit hospitium hoc initium sub Paulo III. vt cætera omnia piè inuenta à Crescentio Silua presbytero Senensi, vt legitur in libris dicti Hospitalis satis exile. Hic pius sacerdos cum multos videret peregrinos per Vrbem vagantes auxilio quorumdam amicorum, quibus consilium suum communicauerat conduxit domum ampliorem, illamq. coemptis lectulis impleuit, ac peregrinos quoscumque pro ædium capacitate, lectulorumq. numero hospitio suscepit, pium institutum inuenit fautores, vt breui construxerit templum satis magnificũ pluribus coemptis ædibus circumiacentibus pauperum hospitio, templo sacerdotibus cultui diuino addictis.

Hospitium administratur à sodalitate laicorum, hoc est instituti laicalis licet clericos admittat, quæ omnium necessariorum curam gerit, & licet quocumque tempore hospitalitas summa humanitate exerceatur: anno tamen Iubilei ob ingentem peregrinorum multitudinem pium institutum magis elucescit: quia quandoque vna nocte enumerãtur quindecies

decies mille hoſpites, & ſi rationes totius anni ſubducas inuenies hoſpitio exceptos fuiſſe quingenties mille, qui numerus ſine frontis attractione non videtur proferendus: ſed aduerte Lector me vera relaturum promiſiſſe, nec vnquam vel leuiſſime fidei meæ deero. Ingens hominum multitudo in ædibus hoſpitij proprijs licet ampliſſimis non continetur. vndè alię circumuicinæ pro anno Iubilei conducuntur, & cum ob id ipſum tum propter reliquos ſumptus multum ęris alieni contrahatur, illud inſequentibus annis, quibus ſumptus non excedunt exſoluitur.

Ordo qui exercetur chatitatis eſt admirabilis illico, ac hoſpites peregrè aduenìunt prima nocte lauantur, fouentur, ſeorſim à mulieribus viri; mulieres quidem à præcipuis & nobiliſſimis Matronis, quæ Vicarias ſtipendio conductas præbent operas: Viri à Principibus Viris, Prælatis, ac ipſis ampliſſimis S. R. E. Cardinalibus à lauatione ducuntur ad menſam, vbi eoſdem lautores mira humanitate & humilitate habent epularum adminiſtros: immò anno 1600. ipſe Clemens VIII. Pont. Max. alba ſindone ſuccinctus eorumdē pedes peregrinorum ſanctis manibus lauit, eorumq. menſæ aſtitit, nimium nobilis ſeu

ſtru-

ſtructor ſeu pincerna. Supremum in ſupremo principe Chriſtianæ humilitatis exemplum, grata ſodalitas, æterna memoria donatum voluit.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
Quod Xenodochium
Paterna Charitate inuiſerit,
Singulari liberalitate
Suſtentauerit
Sodalitas oportuna eius ope
Conſeruata poſuit M.D.XCVII.

Illuſtri D. Didaco de Campo Primicerio
Io. Franciſ. Salomonio I.V.D. Curtio Sergardio
Proſpero Iacobaccio, & Mario Serremedio Cuſt.

Sublatis menſis ducuntur cubitum ſine vllo ſtrepitu vt miraculum videri poſſit tot diuerſarum nationum homines adeò concorditer in vnum conuenire: Hoſpitij tempus triduum eſt; ijs vero qui longinguo veniunt diutius protrahitur, conferuntur pio operi quia proprius cenſus ſumptui eſt impar, multæ & magnæ a probis elemoſinæ vt multi integros ſumptus in ſingulos dies ſuppleant; alij cum alijs conueniant, vt hi carnes, alij

vinum,

aduum, panem alij, alij bellaria Cœnæ subministrent. Hoc certum & satis mirandum, euidenti Numinis prouidentiæ nunquam honestis epulis deesse quicquàm.

Sacerdotibus (licet hunc de quo loquimur victum cum reliquis habeant communem) ob ordinis reuerentiam proprium datur hospitium institutum circa annum Domini 1460. a Confraternitate Sanctæ Luciæ inter Capitolium & Thermas Marcelli, & quia templum non habet iuxta commodam habitationem conducitur ab eadem sodalitate donec propriam fabricarint ampla; domus quà pauperes sacerdotes excipiantur per mensem & vltra si opus ea vt dignoscatur fronti inscriptum est.

HOSPITIVM
Pauperum Sacerdotum
Peregrinorum.

Huic aliud simile nuper condidit D. Ioannes Baptista Viues Hispanus negotiorum Serenissimę Isabellę Belgarum Principis apud Pontificem agens. Hic coëmptum ad radicem collis hortulorum amplissimum palatium sacerdotibus & fidei propagandæ vsui vt sequens inscriptio indicat destinauit.

COL-

C O L L E G I V M
De Propagan. in vniuer. Mundum
Per ſacerdotes ſæculares
Catholica Fide.
V R B A N I V I I I. Anno Primo.

Et licet idem fundator palatium hoc inhabitet, in nullo tamen ſacerdotibus inibi degentibus, eſt impedimento quin immò illis conuiuit & vt negotia permittunt, eorum colloquijs ſæpius intereſt, quorum præcipuus ſcopus, conſilium, modum, & auxilium adhibere, quo Chriſtiana, Catholica religio facilius per orbem propagetur. Aliqui eorum voluntariam ſubeunt ad hæreticos ſiue infideles miſſionem, vt eos verbo & exemplo a concepto errore retrahant, vel certe ſanguine Catholicam veritatem defendant. Huic operi a Gregorio XV. fel. record. pręfecta eſt Cong. Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium de qua ſuo loco dicemus.

Imbecillitatis humanæ naturæ certiſſima indicia tum animi tum corporis morbi, & licet qui corpus affligant, illud ad internecionem redigant; onn tamen comparandi, cruciabilitatibus animi: inter quas miſerrimum illa

melancoliæ ſpecies quæ dementia dicitur & mortales ea parte qua homines ſunt hoc eſt vſu rationis penitus deſtituit. Qui ſummæ huic miſeriæ obnoxij ſunt reſtringantur quaſi feræ in caueas neceſſe eſt, quia non tutum commercium. Eodem tempore quo Creſcentius Silua principia dedit publicæ hoſpitalitati, eidem ſtudebant & ordine conſimili Ferrantes Ruiz ac Angelus & Didacus Bruni Pater & filius Hiſpani ex Regno Nauarræ, qui cum vidiſſent opus Siluæ magna incrementa ſumpſiſſe, illudque probè eſſe propagatum, totam ſuam hoſpitalitatem vſu rationis carentibus deſtinarunt. huic operi poſtea præfecta laicorum ſodalitas, extructum hoſpitium prope viam latam, additumque templum, Virgini ſub titulo pietatis dicatum. Recipiuntur hic cuiuſcumque ſint nationis fatui ac primo ingreſſu Helleboro ac alijs per medicinificos ad id neceſſarijs adhibitis probe curantur, quatenus menti reſtitui poſſint bonæ: ſi malum inualuerit, vt cura prodeſſe nequeat, retinentur donec vixerint, ac victus & amictus infeliciſſimo humanæ miſeriæ ſtatui neceſſarius magna charitate ſubminiſtratur. Licet tam viri quam mulieres eodem contineantur hoſpitio habent tamen ſeparata

claustra,

claustra, vt nulla inter eos possit esse conuentio, singuli suos agnoscũt ministros, qui furentes vbi opus corripiant, quos ideò summopere timent. Semel in omni vita inuisi hanc domum ex causa cuiusdam puellæ Hollandicæ; quæ a Scoto quodam è patria seducta, vel potius rapta, in Italiam aduecta, & deinde ab eo derelicta, in conflictu feruentissimi amoris, & indigni facinoris, mentem amiserat, quæ hoc in loco, sed frustra curabatur. Excelsę pulchritudini addebat angelicam eloquentiam vt nescirem an magis admirarer, seu misererer. Præter hanc conspexi omnium nationum viros, atque etiam religiosos, Germanos Gallos, Hispanos, Belgas, & alios summa sane charitate simul & ob furorem difficultate alitos & rectos.

De Hospitijs Peregrinorum nationalibus.

CAPVT II.

Vrbem Romam ab exordio sui imperij fuisse semper communem Virorum Patriam, vel ex eo habemus quod nulli, quantumuis Barbaro, si exuta barbariæ, frugi & fortis esset

præcluderetur ad quoſcumque Magiſtratus, immò ipſum imperium via: & ſi recte calculum ponas; inuenies, longè plures aduenas imperaſſe quam Romanos. Eadem & nunc hanc terrarum Dominam, ducit Fortuna: vt quiſpiam non falſo dixerit.

Hoſpitibus Mater, natis Vrbs Roma Nouerca:
Plena dat externis vbera, ſicca ſuis.

Hinc omnium Nationum ad eam concurſus, quæ propterea hoſpitia introduxêre nationalia, quorum primum honoris cauſſa ſit Teutonicorum ſiue Teutonum, Virgini ſub titulo de anima dicatum. Originem habuiſſe ferunt antiquam ſatis de anno videlicet 1350: ſedente Clemente ſexto & Imperante Carolo Quarto ex cauſſa Iubilæi, à quibuſdam huius nationis hominibus: qui cum prole carerent proprias ædis hoſpitalitati peregrinorum qui è prouincijs Imperio ſubiectis Romam venirent deſtinarunt, templumque licet, non valde amplum Virgini ſtatuerunt: conditione appoſita, vt inibi pro ſalute animarum ſuarum apud Deum effunderentur, à ſuſcipiendis hoſpitibus præces: & inde Beatæ Mariæ de Anima inuenit nomen. Leguntur iſta in Codice nationali in eodem

Hoſpi-

Hoſpitio aſſeruato. Collata plurium Teutonum ſtipe quorũ nomina Henricus Maruuede de anno 1463. in præfatum codicem retulit, ſenſim hoſpitium excreuit. Gulielmus deinde ab Enckeuoirt Cardinalis Dertuſenſis priori templo ſolo æquato, alterius capacioris, & auguſtioris formæ, vt nunc videmus, conſtruendi auctor fuitcui inſcriptio.

Templum Beatæ Mariæ de Anima Hoſpitalis Teutonicorum M.D.XIIII.

Domum deinde quam habitabat nec non alias adiacentes è quibus quotannis nõ ſpernendus redit cenſus; hoſpitio & Eccleſiæ teſtamento addixit: ac in ea vt ex ſepulchri inſcriptione humari voluit.

VVilbelmo Enchewoirt Brabantino S. R. E. Card. qui pluribus Rom. Reipublicæ Magiſtratibus & Germaniæ procuratione integerr. functus ab Hadriano VI. Pont. Max. cuius res item adminiſtrauerat, libellis dandis & Eccleſiæ Dertuſenſi præfectus & in Cardd. Colleg. claro beneuolentiæ indicio tranſlatis in eum priſtinæ dignit. inſignib. ſolus cooptatus, deinde etiam a Clem. VII. Eccleſia Traiectenſi honeſtatus eſt. Carol.



V. Imperatore libentiss. quem ab illo Coronam imperialē accipientem inunxit annuente, quique beneficior. memor, Hadriani Cadauer e Petri Basilica in hanc ædem cuius construen. & ornan. adiutor fuit sepulchro posito transferre curauit. in egenos & in omnes homines beneficentiss. Io: Dominicus Tranen. Antonius Sanseuerinus Cardd. & P. Vorstius Episcopus Aquen. And. Castillo script. Ap. ex testamen.

poss.

Vixit an. LXX. mortem obijt MDXXXIIII.

Sepulchri verò cuius Epithaphium meminit artificio & mole superbi & Pontificis sanctissimi de re Christiana, cum scriptis, tum opere, optimè meriti, hæc est inscriptio.

HADRIANVS VI. Pont. Max.

Proh. dolor quantum refert in quæ tempora virtus optimi cuiusque incidat.

Hadriano VI. Pont. Max. ex Traiecto insigni, infer. Germ. Vrbe qui cum rerum humanarum maximè auersatus splendorem, vltro a proceribus ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac prope diuinam Castissimi animi moderationem Caro-

li V.

li V. Cæs. Aug. præceptor Ecclesiæ Dertusen. Antistes Sacri Senatus patribus Collega. Hispaniarum Regnis præses Reipub. denique Christianæ diuinitus Pontifex: absens.

Adscitus.

Vixit Ann. LXIIII. Mens. VI. D. XIII.
Decessit XV. Kal. octob. ann. a partu
Virginis M. D. XXIII. Pont. sui anno II.
VVilbelmus Enckeuoirt illius benignitate
Et Auspicijs TT. SS. Io. & Pauli Presbyter
Card. Dertusen. faciundum curauit.

En lector quos Viros pia æque ac verecunda nouatorum turba impios, alastores, fœdifragos, impotentes, & apocalypticas belluas cum libitum fuerit appellat.

VVilhelmum Card. plures secuti sunt in opere pio Deum timentes viri, cum ex inferiore, tum Superiore Germania, quorũ pietate & munificentia Ecclesiæ census non modice excreuit, illi præfecta est Congregatio 12. seu 14. Virorum, nationalium, quorum prudentia & auctoritate administratur, ac in pios vsus distrahitur, quorum præcipuus hospitalitas, qua quoquo tempore suscipiuntur, pauperes peregrini

Teutonici quibus per plures dies frugalis Cœna, & nocturnum exhibetur hoſpitium. Vrbe diſcedentibus iuxta perſonarum qualitatem honeſta ſtips pro viatico erogatur, Mulieribus ſeparata domus deſtinata, vbi etiam perpetuo decenti ſubuentione aluntur eæ mulieres, quæ nationalium, ſiue filiæ, ſiue vxores fuēre: Templo ac diuino cultui addicti 14. Sacerdotes, Sacriſtā, Organiſta, & 4. Accoliti, ad nutum Congregationis ſupradictę amouibiles, qui tamē non niſi volentes, ſeu iuſta & magna cauſſa amouētur: in ſingulos menſtruum & quidem ſufficiens confertur, ſtipendium. Ex Sacerdotibus qui Capellani dicuntur, deſumitur qui peregrinorum curam gerat, eoſque moderetur communi vocabulo pater pauperum vocatur, quos non niſi, audito ſacro: quod ſummo mane recentiori inſtituto ſolenne eſt ab Eccleſia dimittit.

Germanico ſuccedat Gallicū diuo Ludouico Galliarum quondam Regi ſacrum, templum habet auguſtiſſimi proſpectus, opera Matthei Card: Contarelli dum Greg. XIII. eſſet Datarius & plura emolumenta ad Datariam ſpectātia Sanctiſſimo Pontifice annuente fabricæ illius applicaret affabre adornatum. habuit Gallica hoſpitalitas initium ante

multos

multos annos quorum principium non est in hominum memoria (euidens antiquę pietatis argumentum) in Sacello Saluatori dicatum, in Thermis Alexādrinis, prope prefatū templum sancti Ludouici, quod & hodie a dicta natione possidetur. Vtrumque gubernatur a Congregatione 30. Virorum, quorum 12. Galli, sex Lotharinghi, sex Sabaudi, & sex Britones, illorum vno decedente sufficitur ab ipsa Congregatione alter, in decedentis locum: res sacra administratur à 26. præsbyteris quibus à Card. Contarello adiecti octo Cantores, & Organista qui festiuis diebus inter sacrorum solemnia psallant. Hospitalitas exercetur a tribus ex dictis sacerdotibus, quorum vnus est perpetuo hospitalarius, reliqui duo per vices hospitalario auxilio sunt. Recipiuntur per triduum omnes quotquot veniunt dictarum nationum aduenæ quo elapso dimittuntur donati aliquo munusculo, charitatis & pietatis indice. beneficiorum in hanc Ecclesiam a Card. Contarello collatorum testis est sepulturæ in Sacello Apostolo sibi cognomini dicato quod fundauit inscriptio.

Hispani publicam Romæ exercuēre hospitalitatem anno a Christo nato 1450. auctore Alphonso de Paradinas, qui templum Diuo

Iacobo

Iacobo Hiſpaniarum Patrono, ac Ildefunſo Epiſcopo Toletano ad circum Agonis & iuxta illud hoſpitium ſtatuit vt ex eiuſdem tumuli inſcriptione.

Alphonſo de Paradinas Epiſcopo Ciuitatenſi huius Eccleſiæ & hoſpitalis fundatori, pauperum oppreſſorum fautori pijſſimo, ſacrarum cognitionum conſultiſſimo honoris pietatiſque cauſa: vixit annos nonaginta, obijt 19. Octobris MCCCCLXXXV. Pont. Innocentij Papæ Octaui Anno II.

Hæc lapis parieti infixus, exiſtimo tamen templum in ampliorem formam redactum ab Alex. VI. Pont. Max. natione Hiſpano vt videre eſt ex gentilitijs ipſius iconibus proſpectui & parietibus templi affixis. Alphonſus Epiſcopus ordinauit vt res ſacra a 12. ſacerdotibus adminiſtraretur hodie piorum eleemoſinis numerus eorum accreuit ad vigeſimum. Templi ac hoſpitij cura eſt penes Congregationem Laicorum, ex primoribus nationalium Regni Caſtellæ, quos inter non comprehenduntur Valentiani Arragonenſes & Catalauni aut Inſularum Balearium, & Sardiniæ

diniæ habitatores quibus ſeparata eſt Eccleſia & congregatio, dequa mox habebimus ſermonem. exercetur hoſpitalitas erga peregrinos vtriuſque ſexus ſumma cum humanitate in ſeiunctis domibus ne detur anſa ſcandalo, habet natio hæc Catholica laudabile ſane inſtitutũ vt ſingulis feſtiuitatibus reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti circa eam ipſam ante diluculo horam, qua idem D. N. a mortuis reſurexiſſe creditur ſolemniſsimam agat proceſsionem circum ampliſsimum circi Agonalis forum, quod theatri more inſtructum, tot cereis implet, & luminaribus, tantoque apparatu, circumfert ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum, vt ſumptuoſius & auguſtius vix quicquam excogitari poſsit: iudicabam ſanè, cum primum ſacrum ſpectaculum intuerer, labores itineris e Belgio Romam ſuſceptos, vel hoc vno viſo, ſatis fuiſſe compenſatos. Operi huic pręfecta eſt peculiaris Congregatio, omnes & ſingulas, Hiſpaniarum Nationes Regi Hiſpano parentes comprehendens.

Luſitanorum in omnibus, quæ vnquam patrarunt facinoribus ſemper eluxit candens quædam, & religioſa pietas Indos ingenti fortitudine ferro ſubactos, non tam ditionis

occu-

occupandæ caussa vt historias consideranti patebit: quam propagandæ religionis, ingentibus periculis voluerunt. Romæ primum hospitalitatẽ exercuēre sub Nicolao V. Pontifice Maximo anno videlicet 1450. Auctor fœmina nomine Ioanna de Vlisipone. Hæc cum per id temporis Iubilæi caussa Romam venisset ibidem reperit plures pauperes mulieres lusitanas eadem deuotione ductas, per Vrbem vagantes, quarum miserta domunculam coemit, quam stratis & suppellectile impletam, illarum vsui & hospitalitati addixit. Hospitalitas hìc per aliquot annos exercita, donec Antonius Cardinalis Portugallẽsis magnis sumptibus coemeret plures domos in quibus amplum extruxit publicum nationi hospitium, templo, sub inuocatione D. Antonij de Padua ortu lusitano adiecto. Res sacra peragitur a quinque sacerdotibus. Templum ac hospitium regitur a Congregatione 20. virorum nationalium. Hospitalitas huius hospitij non est vt apud reliquas nationes ad triduum aut quatriduum restricta, sed laicis exhibetur ad mensem, sacerdotibus & mulieribus ad bimestre & vltrà, iuxta gentis qualitatem. auctorem suum refert templi inscriptio.

Hospi-

Hospitale D. Antonij Card. Portugallensis.

Licet paucis illinc ab annis fuerit à Georgio Cardinale Vlissiponensi censu auctum. Præter hoc hospitium, idem qui supra Card. Antonius plura apud sanctum Ioannem in Laterano, cui Basilicæ Arcipresbyter præerat, extruxit sumptuosa ædificia, ibidemq; in Sacello Baptistæ post mortem reconditur.

Sepulchrum D. Antonij Card. Portugallensis, qui obijt Romæ die 11. Mensis Iulij anno à Natiuitate D. M.CCCCXXIV. cuius anima requiescat in pace.

Anglia quam itidem magnam Britanniam vocant, inter alia mundi regna Christo, eiusq; Ecclesiæ fuit primogenita, vtpotè quæ Baptismum, ac Christianã Religionẽ publicè susceperit sub anno Dom. 180. Hãc pluribus seculis probè coluit, adeout illius pij Reges illud Ecclesiæ constituerent vectigale: præterito sæculo à suo capite simul & veritate in fœlici exẽplo desciuit, Facinus in antiqua Christiana gente hoc mirabiliùs, & miserabiliùs est, quòd non aliam diuisionis habuerit causam,

quam

quam vt Rex contra fas, & ius pro ſua libidine ductitaret. Turpis occaſio, turpior receſſus. Sed dabit Deus his quoque finem, & ſub iuſtis. Regibus, propediem nobiliſſimum orbis christiani membrum ſuo capiti reſtituetur, immò, vt alias non vanus Calcas vaticinatus ſum, iam nunc video, è Tameſi carinas Tiberim findentIs, quærentes matrem, petentes pacem.

Gentis hoſpitalitas cæpta Romæ ſub Bonifacio eius nominis nono, anno Dom. 1398. cauſſam dedit: Anglicæ mulieris noctu per Vrbem vagantis, à feris comeſæ, indignus euentus, quem ægrè ferens Ioannes Skopandus Anglus, Vrbis incola, Prælatos nationales, reliquoſq; ditiores conuenit, vt huic malo aliqua via mederetur; conuentum inter ipſos, latè diſputatum, nihil concluſum. Indignabundus Ioannes, qui pium ſe dici vult, exclamat, me auctorem imitetur, ac illicò pluribus bonis diſtractis, domum coëmit, illamq; ſuppellectile neceſſaria repletam, hoſpitalitati ſuæ nationis donauit, illiq; ſe & vxorem (quoniam liberis carerent) totos addixit. Opus à Ioanne cœptum ab alijs nationalibus breui ſuſcepit incrementum. Templumq; iuxta hoſpitium, iam valdè ampliatum extruxerunt

ſanctiſ-

ſanctiſſimæ Trinitati ſacrum. Eodem ferè tẽpore mercator quidã Anglicus paruum quoddam, & ſeparatum hoſpitium nautis extruxit, in regione Tranſtiberina, propè D. Chryſogonum, vtrobique exercita hoſpitalitas, quamdiu in inſula ſartatecta relligio, qua exploſa cum rari illinc aduentarent Romam Angli, Greg. XIII. Pont. Max. hoſpitio addidit eiuſdem nationis collegium, de quo ſuo loco illiq; adiunxit etiam præfatum hoſpitium nauticum hoſpitalitate minime ſublata.

Flandria potens & ampla, Belgij, ſiue inferioris Germaniæ Prouincia: Principes, ad gẽtis genium ſemper habuit relligionis amãtiſſimos, qui non ſemel Hieroſolymas forti, & diuite populo adiuti, è Saracenorum Tyrãnide vindicarunt. Gens ipſa hoſpitium Romæ longè ante quingentos annos ſuſcipiendis pauperibus peregrinis ædificauit, ei que Templum D. Iuliano patrono tutelari ſacrum adiecit. Robertus Comes Flandriæ cum Hieroſolymas ſub Vrbano II. anno 1194. Romam pertranſiens tenderet, hoſpitium lapſum reſtaurauit, ac cenſus acceſſione ampliauit; Suſcipiuntur hoſpitio, nõ ſolùm Flandri, ſed & Brabantini, Burgundi, ac reliqui ex Prouincijs Belgij Hiſpano Regi parentibus,

Tem-

Templo addicti proprij Ministri , vtrumq; regitur , vt cætera hospitia nationalia à Congregatione primorum nationalium, quæ præter hospitalitatem, alia exercet pietatis christianæ opera , de quibus suo loco .

Hispania citerior , quæ Tarraconensis , & mutato parum nomine Arragoniæ Regnum, hodie dicitur continet Valentiam,Catalauniã, Insulas Baleares, quæ Maiorica , & Minorica vulgo appellantur,& Sardiniam. Hæ nationes in vnum corpus conflatæ diuersam, à Castellanis constituunt Congregationem : quæ de anno 1495.primum & deinde de anno 1570. hospitium extruxit,& Templum Deiparæ Virgini titulo . Montis Serrati sacrum.Recipiunt hospites ad instar aliarum nationum.Res sacra fit à duodecim capellanis , quatuor accolitis , ac Organista opus adhuc in dies perficitur .

Hungariæ Regnum suis cladibus nobile, præstantissimos lapsis temporibus sortitum est Reges , inter quos Stephanus ille Sanctorum catalogo asscriptus. Hic cum baptismatis lauacro anno à partu Virginis 987.esset regeneratus flagranti desiderio Hierosolymas Constantinopolim , & Romam magno totius Regni nobilium numero comitatus inuisit, ac

in

in singulis dictis Vrbibus hospitia subditis suis, qui eadem loca visitarent, regali munificentia ædificauit; Romæ quidem in ipso Vaticano propè Basilicam S. Petri cui inscriptio.

Ecclesia Hospitalis S. Stephani Regis Vngarorum.

Hospitium hoc fuit restauratum sub anno 1497. ab Vladislai Hungarorum Regis procuratore, vt inscriptio in pariete hospitalis

Domus Vngarorum renouata per D. Phi de Bodrug. DD. se. D. Vladislai Reg. Proc. ex elemosinis peregrinorum sedente Alex. PP. VI. 1497.

Extat hodie hospitium, & templum, nec deficeret si essent, in quos exerceretur hospitalitas. Cura hospitalis, & templi est penes fratres eremitas quosdam natione Vngaros. Habet hoc nobile Regnum aliud iu Vrbe in Monte Cœlio peramplum, & magnificum templum: ab orbiculari figura, rotundum vulgo nuncupatum, ab eodem magno Rege non à fundamentis ædificatum (erat enim antiquitus Gẽtilium errore Fauno cornuto Deo

Sacrum) ſed reſtitutum, ac eidem Stephano Protomartyri dicatum, illudq; & illius cenſum. Greg. XIII. Pont. Max. Collegio Germanico, & Hungarico prouidè, vt ſuo dicemus loco perpetua vnione connexit.

Bohemia Hungariæ propinqua prouincia, olim Ducatus, deinde Regio titulo decorata, hodie tot hæreſibus deturpatur, vt nihil impium, nihil vnquam in mundo fœdum, quod in hoc omnium impietatum, & immunditiarum cloaca miſerrimo Regno non reperiatur, nullus erga Deum, & hominem tam impius, qui hic non recipiatur ab illo Ioanne Hus de atheiſmo in alium continuo prouoluti, vt Trinitarios, Antitrinitarios, & infinitas alias orco deductas ſectas omittam, ijs è latebris annis præteritis prodijt libellus, cui inſcriptio, Chriſtus phantaſma, Trinitas figmentum; blaſphemia abſque horrore pijs auribus non recipienda. dat debitas impietati pœnas cum igne, ferroue deuaſtata vniuerſo mundo deſpectui, proprijs Principibus inuiſa, ferè ad internecionem deletur, & non dum vulneri obducta cicatrix, vtinam aliquando menti reſtituta bonæ ſiſtat cruorem.

Hoſpitium habet Genti Romæ ædificatū à Spironco ex Duce primo Rege, qui noua maieſtate

ieſtate lætus ſub anno 931. Vrbem accedens, hoſpitium popularibus ſuis fundauit, cenſuq; dotauit amplo, in ea Vrbis Regione, quæ à Pontè Adriani deducit nomen iuxta templum D. Luciæ. Carolus deinde quartus Auguſtus ſub anno 1397. ruinoſum hoſpitium priſtino nitori reſtituit, ac nouo ſuperaddito cenſu ampliauit, vt ex inſcriptione.

Carolus Imperator Rom. IV. Rex Boemcrum & horum protector Hoſpitale Bohemorum ruinoſum, refecit anno 1357.

Extant hodie ædes Hoſpitalis, hoſpitibus vacuæ, quos tamen præſtolantur.

Brigida, ſiue Brigitta regio ſanguine procreata ſanctiſſima fœmina pietatis cauſſa Romam venit circa annum Domini 1344. vbi magna floruit ſanctitate; inter reliqua Religionis monumenta genti ſuæ fundauit hoſpitium propè campum Floræ in ijſdem quas inhabitabat ædibus, cuius inſcriptio.

Hoſpitale Sueuorum, Gothorum, & VVandalorum.

Ea mortua, ac à Bonifacio IX. inter Sanctos relata, hoſpitio adiectum templum eidem Brigidæ ſanctum. Gente, deinde à communi Eccleſiæ gremio ſchiſmate diuiſa hoſpitium vna cum templo rimas egit, vtrumque reſtitutum ſub Leone X. vt denotat hoſpitij inſcriptio.

Domus S. Brigidæ Vaſtenen. de Regno Suetiæ reſtaurata anno Domini 1513.

Quo tempore Olaus Magnus Gothus Archiepiſcopus Vpſalenſis celebris morum Septentrionalium populorum Scriptor, illud ſua habitatione cohoneſtauit. Recipiuntur hodie, ſi qui aduenìunt peregrini ex Gothis Vandalis, & Suecis: templo debitum quotidie præſtatur officium, ipſa Brigida deceſſit Romæ in Monaſterio ſancti Laurentij, in pane, & perna, cui Catharina eius filia Noritię Princeps monialis præerat, teſtatur hoc inſcriptio marmori ſculpta in præſenti monaſterij Templo.

Sancta Brigitta hic obijt 1377. *die* 23. *Menſis Maij, & canonizatur per Bonifacium IX. anno* 1391. *die* 7. *Octobris.*

Deceſ-

Deceſſit deinde Catherina, & ipſa magna ſanctitatis fama, vt quãdoq; de ea inter Sanctos reponenda fuerit initum conſilium, quod varijs impedimentis dilatum.

Scoti Romæ hoſpitium habuere in Campo Martis, illiq; iunctum Sacellum D. Andreæ Regni Patrono dicatũ. Quod cum triſti ſeparatione ab Eccleſia ſe reſecaret, deerat, qui hoſpitalitatem exerceret, & qui ea vteretur. Vnde annis elapſis Alexander Sitonius nobilis Scotus hoſpitium, & ſacellum nomine ſuæ nationis conceſſit ſodalitati corporis Chriſti parochialis Eccleſiæ ſancti Andreæ, hoſpitio ferè contiguæ: conditione appoſita, vt ipſa ſodalitas teneretur recipere hoſpitio pauperes peregrinos Scotos, cui oneri illa ſe libens aſtrinxit, vt ex publicis deſuper confectis tabulis, & luculenter præſtabit promiſſa modo ſit, qui beneficium recipiat.

Mahometes Octauus Turcarum Imperator, ſiue Tyrannus, & vt Barbari loquuntur, Padiſcach, infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, Conſtantinopoli expugnata, vniuerſam Græciam, ac Illyrium illi contiguum ferro, & flamma deuaſtauit. profugi plerique in Italiam, & præſertim Romam omnibus ad vitam humanam neceſſarijs deſtituti confu-

gere eorum miſerti,tres Illyricorum Epiſcopi, qui tunc in Vrbe præſentes erant pauperibus, qua via potuere meliori ſubuenerunt. Primò igitur collatis pecunijs ſolùm in Martis campo iuxta Tiberim hoſpitio conſtruendo emerunt, ad quod opus, cum non ſuppeditaret pecuniæ ſatis,humiles ex paluſtribus cannis extrui curarunt caſas, quibus vt melius potuit hoſpites recepti. Paulò poſt ſub Paulo Secundo Romam ſimiliter (rurſus fugientes immanis Turcæ tyrannidem) tanquam vnicum oppreſſorum, quicquid ſectarij blaterent, refugium venere, Regina Bòſſinæ,& ſeruię Deſpotus vterque à Pontifice benignè receptus,ac vtrique menſtruũ,& quidem peramplum aſſignatum ſtipendiũ, quòd Paulo è viuis ſublato, Sixtus eius nominis Quartus, qui illi ſucceſſit, nedum diminutum ſed adauctum voluit, necnon Reginæ, & Deſpoti præcibus illi genti maximum,fundũ circa iampridem coëmptum dono dedit hoſpitium illuſtrauit, templumq; iuxta illud Diuo Hieronymo ſacrum fecit, quod honoris cauſſa Cardinalatus titulo decorauit. Illud deinde Sixtus eius nominis Quintus, quia illi in titulum obuenerat deiecit, ac alterum Auguſtius è Tiburtino lapide magnificentiſſimè à

fun-

fundamentis extruxit. Res diuina curatur à multis illius gentis Sacerdotibus. Hospitium, quo nationales recipiuntur à Congregatione Laicorum eiusdem nationis maxima cum laude administratur, ac alia exercentur pietatis opera, de quibus suo loco.

Insubres, quos vulgus Lombardos, siue Longobardos nominat hospitium, & templum Diuo Ambrosio Archiepiscopo Mediolanensi sacrum fundarunt Romæ, Anno à partu Virginis 1471. sub Sixto Quarto Pont. Max. Templo addicti multi Sacerdotes. hospitium recipit pauperes peregrinos, prouinciales, vtrumque regitur à confraternitate Laicorum nationalium, & vtriq; facta magna accessio, post quam Carolus Cardinalis Borromeus Archiepiscopus Mediolanen. nuper à Paulo V. Pöt. Max. inter Diuos relatus est: cęptum enim extrui ingentis operis, vt ipsa moles indicat, quod Ambrosio, & Carolo dicabitur templum, sed adhuc hæret in suis principijs, vt prouinciales opus viribus maius aggressi videantur; fauente tamen bono Numine, & concurrentibus piorum eleemosinis opus magnificum absoluetur.

Liguria Vrbem Prouinciæ dominatricem habet Ianuam, siue Genuam: opulentam,

ſplendidam, diuitem. Vt Ianuenſes lucro maximopere ſunt addicti, ita magnorum operum ſunt auctores: noſtrum inſtitutum concernit illud Meriaducis Cicadæ nobilis Ianuenſis Sixti IV. Pont. Max. quæſtoris nummularij, qui teſtamento iuſſit templum ſtatui: D. Ioanni Baptiſtæ Ianuenſis Ciuitatis Tutelari patrono, & iuxta illud hoſpitium, recipiendis pauperibus nautis deſtinatum: vtrumque effectum, vt hodie viſitur, Templo nempe inſcriptio.

SANCTO IOANNI BAPTISTAE SAC.
Meriadux Cicada Genuen. locum hoſpitalis faciundum pauperibus nautis recipiendis, & nutriendis fec.
Teſtamento reliquit.

Hoſpitij verò laqueari magnis characteribus expreſſum.

Impenſa Meriaducis Cicadæ ex Teſtamento erectæ Anno Dom. M. CCCC. LXXXIII.

Et in inferiori.

Meriadux Cicada Genuen. ob fidem, ac Religionem à Sixto IV. Pont. Max. Fiſco Apoſtolico ſeruando electus vixit Ann. 51. D. 7. Hor. 4. Hoſpitale hoc pauperibus Nautis alen. & morbo curan. pecunia ſua a fundi faciun.

faciun. testamẽto reliquit dote non praeterita. Hic situs est 4. Nonas Aug. ann. Salutis M. CCCC. LXXXI.

Religiosum opus valde promotum, à Io: Baptista Cicada S. R. E. Cardinale sub anno Domini 1551. qui hospitalitatem à nautis ad omnes ligures cuiuscumq; tandem sint conditionis, & professionis viros, & mulieres liberaliter extendit.

Iuo legum peritus apud Britones, circa annum Domini 1330. magna sanctitatis fama floruit, omnem operam viduarum, pupillorum, ac reliquotum pauperum defendendis caussis adhibuit, vnde cõmuni vocabulo pauperum Aduocatus dictus est. tanta fuere iusti viri merita, vt post obitum inter Sanctos relatus sit. hinc pluribus in locis, ad quae nomen penetrauit, templa, & altaria inuenit, inter caetera Romę Templum in Campo Martis, quod vetustate ferè collapsum à Congregatione, seu Sodalitate nationali fuit magnis sumptibus restitutum, vt ex memoria portae Templi inscripta.

Diuo Iuoni Trecorensi, pauperum, & viduarum Aduocato Natio Britanniae aedem

hanc

hanc iam pridem conseruatam restaurauit ann. M. D. LXVIII.

Templo adiectum hospitium, vbi recipiuntur quotquot recenter Romã, tàm viri, quàm mulieres ea è natione veniunt. Hospitalitas non ad triduum, vel quatriduum restricta, sed in aduenas exercita, donec Vrbe discesserint, si decessum cogitent, si manere cupiant, donec manendi occasionem notam fecerint; in qua quærenda illis auxilio est Congregatio. Templum parochiæ curam habet, quæ à Parocho, & quatuor Capellanis geritur. cohonestatur singulis annis in die Iuonis solemni Missæ sacro à caussarum Curiæ Aduocatis, & celebri habita in pij viri laudem oratione, cui accedit integrum sacrum Cardinalium Collegium.

Sed nec Indi ante aliquot annos fama potius auditi, quàm commercio agniti, in hac communi patria destituuntur hospitio, assignauit hoc eis, & iuxta templum D. Stephano, sacrum Clemens eius nominis VII. Pont. Max. in ipso Vaticano, cui Greg. XIII. pauperum bono natus liberaliter addidit, vt victui necessaria è palatio Apostolico hospitio splendidè erogarentur: indignum iudicans, genti

genti peregre adeo relligionis caussa Romam venienti aliquid deesse. Ob ingentem distantiam nullum eis præscribitur manēdi tempus, sed si perpetuò manserint perpetuò aluntur;& quia Indi, qui huc accedunt sunt plerumque ex Abassinis multis erroribus infecti instruuntur probe in fide Catholica, vt ad suos quandoq; reuersi ijsdem errores, quibus implicantur detegant.

Armenia licèt inter primas fuerit, quæ Christo nomen dedit prouincias, nihilominus,neque templum, neque hospitium Romæ habuit ante ann. 1564. sed si qui Romam Armenorum veniebāt hospitabantur cum Indis. Verùm cum ad Pium IV. Pont. Max. venisset Sepher Abagarus Armenius gentis suæ Orator, qui ab Abagaro illo, de quo in Apostolorum actis fit mentio originem trahere asserebat, idem Pontifex genti assignauit hospitium propè Insulam Tiberinam, quòd cum Pius V. successor in Hebræorum septo occlusisset Greg. XIII. ne ijsdem muris Christiani, vnà cum Hebræis continerentur: Armenos transtulit ad Ecclesiam non longè inde distantem Mariæ Aegyptiacę sacram,ibidemq; genti hospitium construxit, parochiali cura, quæ huic Ecclesiæ imminebat in vicinam

Sanctæ

Sanctæ Mariæ in Cosmedin translata. hospitalitati decem menstruos aureos è pontificis ærario numerandos adiecit. Receptis recenter hospitibus longo itinere fessis totum triduum quieti conceditur, mox interrogantur, vnde & qui, exiguntur q; testimoniales, quibus exhibitis quia græco litãt more schismate abdicato, imbuuntur pietate latina, vt si ad suos redire contingat eam prædicent, & defendant.

Stanislaus Hosius Cardin. Varmiensis vir optimè de Republica Christiana meritus, cum videret, nullam adeo remotam ab Vrbe gentem esse, quæ in ea templum, & hospitium non haberet ijs propriam carere non est passus, sed à Greg. XIII. Polonis suis Ecclesiam S. Saluatoris ad radices Capitolij, parochiali cura ad Ecclesiam S. Luciæ illi conterminam translata, ac vicinas illi domos pro hospitio, censu Ecclesiæ antea debito hospitio relicto, concedi obtinuit, & quod viuens adimplere non potuit testamento iussit, templum à fundamentis restaurari, & Saluatori, ac Stanislao Diuo; cognomini dicari, hospitijq; censum pro hæreditatis viribus augeri; vtrumque exequutum visitur enim templum instauratum, ac sacra suppellectile decenter ornatum,

Sal-

Saluatori, & Stanislao dicatum, vt refert inscriptio.

Sancti Saluatoris, & S. Stanislai Polonorum Anno Domini M.D. LXXX.

Hospitium censu adauctum, vt hospitalitas commodè exerceatur Hosius sanctissimus Vir Romæ moritur, conditur apud Sanctam Mariam Transtiberim, vbi eidem in marmore memoria.

D. O. M.

Stanislao Hosio Polono sacræ Romanę Ecclesiæ Presbytero Cardinali Varmiensi Episcopo, Penitentiario maiori, sanctitatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria celeberrimo Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui cum antiquæ probitatis, & Episcopi vigilantiæ præstantiam in humilitate, charitate, castitate, & beneficentia exprexisset hæreticas sectas scriptis, & consilijs sapientissimè, & feruenter oppugnaßet, multos ab erroribus reuocasset, grauissimisq; legationibus pro pace Ecclesiæ Dei cum apud Carolum V. & Ferdinandum Cæsares tum præcipuè in Sacro Concilio Tridentino Pij IV. Pont. nomine fœlicissimè perfunctus Christianæ Reipublicæ plu-

plurimum profuisset omnium virtutum laudibus exemplis ad imitandum abundans obdormiuit in Domino Nonis Augusti, Anno Salutis 1589. ætatis suæ 70. Stanislaus Patruo, & Stanislaus Rescius patrono beneficentissimo executores testamenti poss.

Pius IV. Pont. Max. vt ex pluribus monumentis apparet regium gerebat animum, vnde non solum nitebatur rebus ad religionem spectantibus, sed & quæ Principem decent Vrbem Romam, qua potuit aduersum hostes tutiorem reddidit, Vrbem Leoninam vallo, & muro cinxit, plures Vrbis portas, vel restaurauit, vel à fundamentis extruxit, Flaminiam Populi portam, vulgo dictam Nomentanam ab eius in sacerdotio nomine Piam nuncupatam, & alteram nouam in Vrbe Leonina, ab eius nomine ante sacerdotium appellatam Angelicam. Propter hanc recẽs Eremitarum extructum hospitiũ, quo recipiuntur quicũq; pro domus capacitate recipi possunt pauperes, & lautiori, sed frugali mensa: vidi opus exoriri, & iam piorum eleemonsynis excreuit ad non contemnendam amplitudinem, templum habet Virgini sacrum religione toti Vrbi percelebre, sed de eo suo loco, nunc enim

enim non nisi quæ ad hospitalitatem, & quidem publicam spectant recensere propositum ... e hic sistent, si ijsdem addidero Romanorũ Pontificũ in recipiẽdis hospitibus quoquo tempore, sed pręsertim anno Iubilei paternam charitatem, & regiam in peregrinos munificẽtiam, quæ sanè talis est, vt vix fidẽ inueniat apud absentes. Nullũ in aduenas prætermittitur humanitatis officium, in quo VRBANVS VIII. Pont. Max. vt in reliquis nulli prædecessorum est minor, à quoquam vinci non patietur. Statuit enim Principes, & magnates splendidè, etiam in proprio sacro palatio recipere, Episcopos vero, & Sacerdotes seiunctim, in alijs ædibus secus Basilicam Petri, proprio ære conductis, diuite suppellectili repletis, ijsq; omnia ordini dignitati, & victui necessaria munificentissimè exhibere. Regij animi operi concernentia iam nunc summa prouidentia congesta. Videant tandem sectarij, quam ingratijs Papæ, illiusq; auctoritati detrahant. Romani Pontifices absentes monent, præsentes fouent, dona conferunt, singulos auxiliantur, omnibus elargiuntur, pro omnibus excubãt. Quid (malũ) à Papa admittitur sceleris, aut omittitur pietatis? Vnde igitur tot gẽtibus inuisum nomẽ? anne quia sum-

mum

mum beneficium non poteſt, niſi ſumma ingratitudine repēdi? ſed vincet inuidiam VRBANI fœlicitas, & quem gratiſſimum experiuntur Numen, & homines, ingratitudine peti ſuperi non permittent.

De Hoſpitijs Aegrotorum communibus. CAPVT III.

Hoſpitalitatis vſum apud Rom. non ſolùm fuiſſe in ſuſcipiendis peregrinis, ſed etiam in curandis ægrotis denotat locus Liuij lib. 2. *Benignè excepti* (inquit) *in hoſpitia diuiſi curati vulneribus.* Chriſtianam gentem omnes alias hoc pietatis genere longè excellere vnius Romæ exemplo ſatis comprobatur, habet illa non longè à Vaticano ad Tiberis littus in Vico Saxonum Xenodochium, ſeu hoſpitium ægrotis deſtinatum totius orbis celeberrimum, tot palatia, tot domus, ambitu continens, vt integri oppidi potius, quam vnius habitationis ſpeciem præſeferat. Auguſtiſſimi Terrarum operis, auctorem Camillus Fanuccius, qui hæc congerere tentauit Symmachum Pont.Max.eo quod ipſe legatur pauperibus habitacula prope D.Petrum conſtruxiſſe affirmat, & quia de alio non conſtat

infert

infert illud esse hoc idem, de quo agimus. Verum argumentum non concludit, nam quę de Symmacho referuntur sunt ista.

Alphonsus Ciacchonus in vita Symmachi ex Platina, & alijs. Ad B. Petrum, & B. Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium Martyrem pauperibus habitacula construxit, curauitq; ne quid eis deesset, quod ad victum pertineret. Amator enim pauperum fuit.

Quibus verbis nulla fit mentio de ægrotis; accedat quod eloquutio ista antiqua, apud B. Petrum denotat locum templo contiguum vt in similibus est obseruare: hospitium verò, de quo agimus longius distat, quam vt huiusmodi loquendi modo designetur: eodem argumento existimo hallucinari eos, qui operis auctorem faciunt Leonem III. Pont. Max. licet enim de eo dicatur, quod ædificauerit à fundamentis apud S. Petrum amplissimum hospitale, non tamen potest argui, quod hoc fuerit illud, de quo agitur, cum nulla huius facti extet memoria, & omnem ambiguitatem tollit, quod planè constat operis auctorem fuisse Innocentium III. vt ex inscriptione eiusdem hospitij, videlicet.

Hic Innocẽtius III. Angelicæ monitioni parens in honorem ſancti Spiritus hoſpitale fundari, & erigi iuſſit.

Vbi nulla mentio de hoſpitio priori, & clarius indicat alia inſcriptio.

Hic Innocentius III. de Comitibus, admonetur per Angelum, vt hoſpitale pro ſaluandis expoſitis ædificet, & locum ei in Saxia deſignet, vbi paſſim omnes recipi, & educari debent:

Ex deſignatione enim loci conſtat ibidem nullum alterum præextitiſſe, & demum ipſum hoſpitium Innocentium fatetur ſuum auctorem, vt ſequenti tabula.

Innocentio III. Anagn. Pont. Max. Xenodochij huius toto orbe celeberr. cum denarijs dotalibus fundatori & Religionis Fratrum ibi inſtit feliciſſ.

Cõprobatur hoc ex reſtitutione Sixti IV.

Sixto IV. Sauonen. Pcnt. Max. loci huius iam fermè diruti, à fund. in ampliorem, & elegantiorem formam erectori, & plurimarum gratiarum per diplom. ampliſs. largitori ſanctiſs.

Ex

Ex quo dubio procul liquet Innocentium III. non fuiſſe hoſpitij præexiſtentis reſtauratorem, ſed nouiter erecti fundatorem,& Sixtum IV. labentis ampliſſimum reſtitutorem, & licet de Eugenio IV.legatur memoria,eum fuiſſe huius Xenodochij reſtitutorem, intelligendum quoad priuilegiorum conceſſionem; non tamen: quoad fabricæ, ſiue conſtructionem, ſiue ampliationem, vt ſatis clarè denotant memoriæ verba.

Eugenio IV.Veneto Pont. *Max. Confraternitatis vtriuſque Chriſtifidelium intermiſſæ non ſine maximo huius loci emolumento cum priuilegijs reſtauratori optimo.*

Hæc Confraternitas hodie penitus defecit,quod multum miror,cum operi pio valde eſſet vſui. Eugenium ſequuti ſunt plures Romani Pont. quibus omnibus beneficij accepti dicata memoria.

Leoni X. med. flor. Pont. *Max. Superiorum Pont. litterarum comprobatori, & Confratrum ibid. ſub reg. D. Aug. olim inſtit. honoris, & dignitatis aſſertori ſap.*

Paulo III. Farneſio Rom. Pont. Max. prouen-

tuum ex permutatione Polidori, & aliorum non sine loci huius frugi compendio facto auctori præsentiss.

Pio IV. Mediolanen. Pont. Max. vectigalium pro lineæ, & laneæ suppellectilis, nec non & eorum, quæ ad aromatariam penum pertinent emptione absolutori pijss.

Pio V. Alexand. Pont. Max. rei frumentariæ extractionem, vnde ædificij huius pecunia potiss. effluxit indultori liberaliss. Greg. XIII. Bonon. Pont. Max. omnium priuilegiorum confirmatori, nostræq; dignitatis promotori pient. Thes. Aldo. Bon. Precep. gratitudinis ergo pingi curauit.

Celeberrimi Vrbis, & Orbis operis, dignitati, ornatui, & commodo nunquam deerunt successuri Rom. Pont. at illud dubio procul omni conamine promouebunt.

Vt autem vnde discesseram ad loci descriptionem redeam, hospitium, & iuxta illud templum Spiritui sancto, vt ex præmissis videre licuit ab Innocentio III. fuit dicatum. Templo addicti; *Religiosi viri alba cruce*, in pectore signati, qui similiter regimini Xenodochij, illiusq, prouentuum agrorum, & censuum præficiuntur, quibus innumeri addun-

tur

tur ministri stipendio, & mercede conducti: Illis omnibus præest præceptor, sub nomine Commendatoris, qui aliquot ab hinc annis à numero primariorum totius Curiæ Prælatorum desumitur, templum tiburtino extructum lapide, picturis; sacra suppellectile, ac reliquis ad christianam pietatem facientibus mirificè adornatum: hospitium, siue Xenodochium commune amplissimum est, quippè, quòd quadringentos, & vltra vnico tempore suscipiat ægrotos, singulos seorsim, in proprio strato cubantes. Suscipiuntur febricitantes, & vulnerati cuiuscumque generis & nationis, si peculium quoddam penes se habeant, loci quæstori custodien. traditur, illudque sanitati restitutis probè ad obulum restituitur, nobilibus familia, cui in morbo curæ sint destitutis, Sixtus IV. palatium seiunctum posuit, vt ex illius rei memoria.

Nobilium calamitate, & ægritudine motus seorsim ab aliis locum idoneum decenterq; ornatum his tribuit.

Aegrotorum curæ plures addicti, tum Medici, tum Chirurghi, qui per vices etiam noctu excubias agant; nihil quod ad curationem

humani corporis ſpectare poteſt omittitur.

Vltra Religioſos loco perpetuum addictos, & alios miniſtros mercede conductos plures aliorum ordinum religioſi viri dietim ægrotos viſitant, illos,ne dum ad patientiam exhorrantur, & verbo Dei paſcunt, ſed & pomis præcocibus,exquiſitis terræ iuxta anni tempora primitijs, vel alijs etiam longinquo aduectis bellarijs, ac peregrinis delitijs: inter quos præcipui Sacerdotes Congregationis Oratorij auctoritate ſancti Philippi Nerij, non ante multos annos fundati, quorum Religio, & probata virtus locum poſcit particularem. Præter ægrotos ſuſcipiuntur expoſiti quorum in magnis Vrbibus ſemper ingens ſolet eſſe multitudo, & hoc ex præſcripto, vt vidimus Innocentij III. quod Sixtus IV. confirmauit, & ampliauit, vt eiuſce rei memoria indicat.

Cum pueros expoſitos, puellaſque ad pedes eius cum nutricibus proſtratos videret locum habitandi eis aſſignat, mandatque puellas nubiles maritis cum dote locari, nonnullas verò Religioni arbitrio præfectorum perpetuò dedicari.

Locus

Locus hic, ingens eſt palatium, in quo plures diuiſiones, vna continet recenter expoſitos cum Nutricibus, altera adultos maſculos artificio alicui addictos; tertia adultas puellas, quæ nubiles, vel velantur moniales in monaſterio ijſdem limitibus comprehenſo, vel traduntur nuptui iuxta præſcriptum Sixti, quod ſingulis annis fit, tertia poſt Pentecoſten die; ſponſis exhibetur lautum conuiuium, & dote, mundoq; muliebri donatæ dimittuntur ad viros. Alterum in ijſdem ſeptis exiſtit palatium, Præceptoris, & loci Religioſorum habitationi reliquis longè magnificentius deſtinatum: Annuus loci cenſus oppido peramplus eſt, & ad centies mille aureos ferè aſcendit, ſumma apta inuidiæ, ſi illi opus adeò pium ſubiaceret: Eximiæ huic quã hactenus vidimus huius loci erga ægrotos charitati, accedat alia munificentior, quæ eſt quod aliquas habet rhedas vrbanas, ſiue carpenta ægrotorum vſui deſtinata, quibus vehuntur per Vrbis amœniora loca, præſertim ij, qui lentis macerantur febribus, vt iuxta medicorum præceptum aërem liberiorem libent. Xenodochij, in quo ſituatus eſt locus, quare Saxia dicatur, non aliam inueni rationem, quam quod Ottonis Saxonis Au-

gusti milites, dum Romæ esset hoc in loco haberent stationem, & proinde locum à plebe corruptè Saxiam dictum.

Propè Basilicam Lateranensem antiquissima extat Sacellum, in quo præter Sanctorum Martyrum multas relliquias, cõseruatur imago Saluatoris, & Domini nostri Iesu Christi, à Diuo Luca Euangelista, vt constans fama est coloribus expressa, locus ipse est summa religione sacer, vt illi non perperam inscriptum sit.

Non est in toto sanctior Orbe locus.

Huic à Sixto V. Pont. Max. adiecta Scala sancta, quæ è Pilati palatio Hierosolymis à Christo in humanis agẽte vincto, & flagris cęso calcata, Romam magnis sumptibus aduecta, magnificis circumiectis fonicibus, & sumptuosa porticu cingitur, rem denotat inscriptio.

Sixtus V. sanctiori loco Scalam sanctam posuit.

Aedis, & imaginis cura est penes sodalitatem, siue Congregationem nobilium Romanorum, qui vtriq; debitam à multis sæculis

adhi-

adhibuere & in hunc diem adhibent curam.

Hanc propter Ioannes Card. Columna, qui de anno 1216. ab Honorio III. ſacro Collegio aſſcriptus eſt: pauperibus ægrotis ampliſſimū conſtruxit hoſpitium, eidem Saluatori ſacrum vt teſtatur in lapide littera.

Hoſpita: ſalua: Refugium pauperum, & infirmorum. Illudque diuite cenſu dotauit, regimen, & curam penes eandem ſodalitatem eſſe voluit, cuius opera non parum illius opes accretæ. hoſpitium eſt duplex vnum quo viri, alterum quo ſuſcipiuntur mulieres; inter vtrumque via publica. ſinguli à ſui ſexus reguntur miniſtris hyberno tempore, vt plurimum mulieribus ſternuntur lectuli. 50. viris 150. qui æſtiuo cū morbi magis ingraueſcunt augētur in duplū. Excipiuntur, cuiuſcumque conditionis homines, febri laborantes, & vulnerati: aluntur, fouentur eodem modo, quo alij penes ſanctum Spiritum: Miniſtri infirmorum innumeri, Medici Chirurghi, & Sacerdotes quot ſunt ſatis, ægrotis etiam lenta febri laborantibus attributa rheda, vt puriore ſuſcepto aëre exhilarentur, & exhalent. Aedificium totum, eſt ſumptuoſa mole, conſpicuum, à primæ inter Romanos nobilitatis viris ſumma diligenria, & ingenuitate

tate rectum. Præter in ægrotos eximiam charitatem, exercet alia pietatis opera suo loco recensenda.

Antiquum adeò fuit Romæ hospitium sanctæ Mariæ in Porticu nuncupatum, vt originis non extet certa memoria, extitisse denotat inscriptio.

Diuæ Mariæ in Porticu sacrum Societatis Hospitale.

vel certe memoria eius in miserabili illa Vrbis, sub Clemente Septimo direptione, siue Tiberis sæpius iterata inundatione, vt reliqua multa malo exemplo perijt. extat templum alteri vsui addictum: Non longe alia sodalitas Virgini sub inuocatione gratiarum sacra hospitalitati dedita Xenodochium infirmis extruxit, & rursum altera eidem Virgini sub vocabulo Consolationis:non inde longe alterum fundauit ægrotis hospitium. Locorum vicinitas fecit, vt tria hospitia redigerentur ad ædem consolationis, vt notat tabula.

Genitrici Dei Mariæ Consolationis ædem ex eleemosinis fratres hospitalis gratiarum à fundamentis erexerunt.

Hodie

Hodie reiectis reliquis nominibus vnico Consolationis nuncupatur, ea fortassis ratione quod vocabulum ægrotis probè conueniret. excipiuntur hìc, vt in reliquis supradictis seorsim viri à mulieribus cuiuscumque conditionis laborantes febri, & vulneribus affecti: infirmis addicti ministri Medici, & Chirurghi. Templo ex tiburtino lapide, cuius prospectus nondum absolutus, addictus congtuus Sacerdotum numerus; sternuntur lectuli hyeme centum, æstate ducenti:fabrica in multam se protēdit latitudinem, cura omnis est penes confratres, quos dixi Consolationis; annuus census amplus, cui magna quotidie ex piorum eleemosinis fit accessio.

Circa annum Domini 1390. sedente Bonifacio IX. in regione transtiberina coaluit piorum sodalitas Virgini dicata, quæ quia imagini eiusdem Virginis in horto quodam repertæ ædificauit templum satis magnificum, tàm templum, quàm sodalitas ab horto sortita est nomen. Templo adiectum pro infirmis hospitium, vtrumque testatur inscriptio:

Aediculam dirupt. Virg. Deipar. Hortensisq, in hanc ædem mutarunt, socij dedicarunt; hospi-

tio

tio auxer. ad ægenos alen. suo sumptu & relig.

Hospitium de more admittit laborantes, seu febri, seu vulnere: ijs conductus medicus, Chirurghus, ministri, & subministrata reliqua ad curam morbosi corporis necessaria; templo plures addicti Sacerdotes. hospitium, licet singulos, & quoscumque cuiuscumque sint gradus, & conditionis admittat, particulari tamen studio fouet mechanicos, Caduarios, molitores, nautas, sutores, molitores, lignarios, bubulcos, iugarios, vinearios, quorum eleemosinis valde subleuatur. Ipsa confraternitas, apud quam regimen & cura, non ex nobilibus, sed mechanicis cõstituitur, sternuntur lectuli ex solito 50. autumno seu alio tabido anni tempore duplò, & triplò plures.

Anno Iubilei 1500. alia instituta sodalitas, Diuo Roccho sacra, quæ propè templum D. Hieronymi Illiricorum coëmit ab ijsdem Illiricis fundum pro hospitij constructione, quod illicò fuit constructum, illique adiectum templum satis magnificum vtrumque à sodalitate fabricatum testatur barbara, & inepta inscriptio.

Funditus huiusce Consor. A. D. M. D.

Tem-

Templo addicti Sacerdotes 18. accoliti. 4. hoſpitio ſuſcipiuntur cuiuſcumque conditionis viri, & mulieres, ſeiunctis habitaculis, quià febre, vel vulnere curandi; mechanicorũ tamen videlicet nautarum, cauponum, lignariorum, fartorum, tibicinorum, cupedinariorum, ſalſamentariorum, quorum eleemoſinis hoſpitium accreuit, particularis cura: quinquaginta in dies ſternuntur lecti, & inualeſcente morbo centum, cura penes ſodalitatem eſt, & quia hoſpitalitas tantum exercebatur in viros; Antonius Maria Cardinalis Saluiatus vir ob egregia eius in pios vſus opera ſæpe nominandus, magnam fabricam hoſpitio mulierum priori adiecit, cenſum addidit, vtrumque teſtatur fabricæ inſcriptio.

Antonius Maria Card. Saluiatus ad ædificium hocce à fundamentis ædificandum, ægrotantiumq; mulierum curationem magnos redditus viuus attribuit.

Eodem anno piſtorum probiores inter ſe contraxēre ſocietatem, quæ collata pecunia fundum emit iuxta forum Traiani, cui ſumptuoſiſſimum omnibus numeris abſolutum inædificauit tēplum Virgini Lauretanę ſacrũ.

Diuæ

Diuæ Mariæ Virgini, & Matri Dei, sodales Lauretani DD. anno Iubilei M.D.L.

quia eo anno demum completum. Templum ipsum opus insigne, ex tiburtino lapide cōspicuum, in cuius fabrica expositi aurei vltra 50. m. iuxta illud hospitium; omnibus & quibuscumque, febri, seu vulnere afflictis commune: pistoribus tamen, quorum sumptibus excreuit particulari affectu addictum, quamuis inscriptio hoc non denotet.

Hospit. Societ. Diuæ Mariæ Laureti.

Apud quam Societatem tota loci cura: strati quotidie lectuli ægrotorum vsui triginta, quorum numerus crescit in dies. ægrotis ad morbum subleuandum, & valetudinem recuperandam suppeditatur quicquid potest vtile, & necessarium.

In Ciuitate Granatensi in vlteriori Hispania non ante multos annos, Ioannes quidam Colauita, vulgo, Ioannes de Deo nuncupatus artis suæ bibliopola, libris distractis eorum pretium ægrotorum hospitalitati addixit, in quo opere socios inuenit, quorum auxilio

breui

breui, ne dum per Hiſpaniam plura fundata hoſpitia, ſed & per vniuerſam fere Italiam. Romæ in inſula Tiberina cernitur non exiguũ quo ſumma caritate excipiuntur centum ægroti, & amplius ſi neceſſitas poſtulet. Nullo fulcitur annuo cenſu, ſed piorum ſuſtentatur eleemoſinis per religioſos quoſdam Eremitici ordinis ſupradicti Ioannis Colauitæ inſtituto viuentes coactis; apud hos tota hoſpitalitatis cura, ipſique infirmis, miniſtri aſtant indefeſſi: locupletatur hoſpitium inſigni pharmacopolio, pharmacis melioribus vndique ſummis, ſumptibus congeſtis, templum habet ſatis ornatum Saluatori ſacrum.

Hoſpitium quotidie magna ſuſcipit incrementa ob eximiam prędictorum religioſorum in ægrotos charitatem.

Præcedenti capitulo vidimus de Anachoretorum ad portam Angelicam in Vrbe Leonina hoſpitio, in quo peregrinis quietem dari oſtendimus; hoc loco addimus prædictum hoſpitium ægrotos curandos viginti ad id ſtratis lectulis, eremitis hoſpitalitatis curam nauantibus, ſuſcipere. Albentium Calabrum virum plebeium, non plebei, & abiecti animi habuit fundatorem.

Hoſpitium ſancti Iacobi in Auguſta ab hor

tis

tis Augusti, in quibus situatur nomen ducens, fundatorem agnoscit Petrum Cardinalem de Columna, vt marmorea in pariete tabula.

In Dei nomine amen. anno Domini M.CCC. XXXVIII. indict. vij. mense Septembri in festo beati Michaelis tempore sanctissimi in Christo Patris Domini D. Benedicti Papæ XII. Pontificatus eius anno 5. hoc hospitale ad laudem Dei, & sub vocabulo B. Iacobi Apostoli pro anima Reuerendiss. Patris, & Domini, D. Petri de Columna sancti Angeli quondam Diaconi Card. fundatum fuit de mandato DD. Cardinalium exequutorum dicti Dom. Cardinalis, mediante sollicitudine Reuerendiss. Patris, & Dom. Fr. Ioannis Dei gratia Episcopi Anagnini Domini Papæ Vicarij, & venerabilis viri D. Thomæ de labro Canonici Reatini procuratoris dd. DD. Cardinalium exequutorum.

Suscipiuntur hic ad curandum vulnerati, attracti, herniosi, & similibus pene incurabilibus laborantes morbis, vnde hospitium vulgo incurabilium dicitur, Opus eximiam præsefert pietatem, quam augendam curarunt plures

res magni nominis viri, inter quos Antonius de Burgos, cuius in templo ad Orientem (duo enim habet templa hospitium hoc de quo loquimur, hoc, & alterum ad Occidentem) marmorea tabula.

D. O. M.

Antonio de Burgos Salamantin. vtriusque Signaturæ Referendario vtriusque iuris consultissimo, qui Bononiæ ius Pont. per 20. annos publicè professus à Leone X. Pon. Max. in Vrbem accitus, signaturæ gratiæ sub illo, sub Adriano VI. & Clemente VII. Pont. Max. magnā doctrinæ, probitatis, & ingenij famā præbuit, vixit annos 70. obijt die 10. mensis Decembris 1525. *Io. Math. Episcopus Veronen. ex testamento posuit*.

Hæredem autem vniuersalem, dixit hospitium Fr. Clemens Cardinalis de Aracæli, vt indicat memoria in eodem templo tabula.

Fr. Clementi Dolera Moniliano generali Ordinis sancti Francisci Presb. Card. de Aracæli viro doctrina, & bonitate insigni, quod eius testamento ad hospitale S. Iacobi hæreditas peruenisset, sodales illius Collegij pro tanta

pietate hac lege sese in perpetuum obligarunt vti postridie eius diei quo decessit è vita, quæ fuit octaua, iduum Ianuarium 1568. anniuersaria commemoratio eius fiat, & Sacerdos sacrum solemne faciat vniuersis sodalibus ad eam rem conuocatis, hoc amplius vti singulis diebus, qui dies festi non erunt Sacerdos sacrum faciat ad ipsius, gentiliumque eius animas, qui mortui erunt expiandas, quod si dies festus inciderit sacrum fiat eius diui, cuius dies sacer erit vtique eo sacro commemoratio Cardinalis, gentiliumque eius, qui mortui erunt separatim fiat.

Non etiam parum operi profuit Bartholomeus de la Cueua Card. S. Crucis in Hierusalem, vt ex simili marmorea tabula.

D. M. O.

D. Bartholomeo de la Cueua P. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem Archihospitalis S. Iacobi quod in eius tutela viuens adhuc erat aureos 80. *annuos testamento legauit, eandemque summam à mensa montis fidei numerari ei voluit, ita tamen vt in ara eius templi sacrum bis quotidie in dies singulos fiat, quo in sacro præcationes pro eo, & eius agnatis, gen-*

gentilibusq; qui mortui erunt Deo immortali adhibeantur, hoc amplius, vt diebus dominicis, festisq; eorum dierum solemnia, ritusque seruentur, quam eius voluntatem Ranutius Farnesius Cardinalis S. Angeli, cæterique curatores testamenti in marmorea tabula incidi, notarique fecerunt anno die natalis Christi 1563.

Recipit illustris hæc apud Hispanos familia religiosæ pietatis debita premia, vt quæ ab illo tempore plures dedit Ecclesiæ præsules, & ex eadem prodijt, qui hodie viuit D. Alphonsus Card. de la Cueua. Pium opus, munifice etiam iuuit Ludouicus de Torres Archiepiscopus Salernitanus, vt ex simili marmorea tabula.

Ex testamento Ludouici de Torres Archiepiscopi Salernitani: quo cauetur, vt in Ara huius templi sacrum quotidie fiat, in quo cõmemoratio mortuorum habeatur. Ferd. & Lud. de Torres fratris filij ob eam rem nummos aureos CCCC. in curationem vlceratorum huius loci procurat. ibi erogarunt anno post Christum natum M.D.LIV.

Ex hac familia duo paucorum annorum curriculo prodiere S. R. E. Cardinales Ludouicus ex Archiepiſcopo Montis Regalis à Paulo V. presbyter Cardinalis S. Pancratij & Coſmus ex nuncio apoſtolico apud Poloniæ Regem à Gregorio XV. prebyter Cardinalis eiuſdem tituli. Prior, ante aliquot annos diſceſſit relictis multis relligionis, & pietatis monumentis, alter ſuperſtes egregiam Eccleſiaſticis negotijs in Romana Curia nauat operam, vt ſumma Eccleſiæ dignitatis munia huius ſtemmatis germina recipiant tamquam gentis pietati debita: Præter hos quos recenſuimus Cardinales, & magnos Eccleſiaſticos Præſules, plures alij inferioris ordinis tum viri, tum mulieres, quorum nomina longum eſſet recenſere, pijs legatis prçcipuum Chriſtianæ pietatis opus promouerunt, quos breuitatis cauſſa, cui prçſertim hoc loci ſtudendum, omitto: non tamen factum Pauli III. cuius extat memoria in marmorea tabula parieti Eccleſiæ occidentalis inſerta, quæ eſt.

PIETATIS STVDIO.

Paulus III. Pont. Max. Gente Farneſia Patria Romanus ſecunda hoſpitalis huius

viſi-

visitatione procuratis liberaliter agrorum subsidijs vt animarum iuxta saluti consuleret: Aram excitari iussit, vbi quoties sacrum fieret in fide vita functis gratiæ condonarentur, quæ Beatorum Ioannis Lateranensis, Laurentij, Sebastiani, Gregorij, Pudentianæ, Praxedis, Beatæ Mariæ de pœnis Inferni, cæterarumq; Vrbis Ecclesiarum intra extraue altaribus ex antiquo Pontificum thesauro tributa memorantur.

Quod vt memoriæ æternæ consecretur piæ domus Custodes marmore hoc excudi curauerunt anno salutis 1537. *Iunij die* 11.

His omnibus postremum accessit; Antonius Maria Cardinalis Saluiatus, vir vt augusta eius monumenta testantur regij animi, hic templum, quod orientale diximus funditus euertit, aliudque magnificentissimum structura eximia, amplitudine admirabili, regio apparatu visendum extruxit: censum hospitij mira liberalitate adauxit. In cubi, qui templo supereminet orbiculari margine magnis litteris inscriptum.

Antonius Maria Saluiatus S. R. E. presbyter Cardinalis anno M. D. XC. V.

Marmorea verò tabula altiori templi parieti adaptata ſic refert.

Antonius Maria Cardinalis Saluiatus Templum Deo, ægrotis hoſpitium ædificauit.

Iacet vir magnus ante Aram Templi maiorem cui hoc ex metallo monumentum.

I. C. R.

Antonius Maria Saluiatus S. R. E. presbyter Card. ædibus adiacentibus in ægrotorum curam extructis in hoc quod è fundamentis erexit templo ſepulchrum ſibi delegit; vixit annos LXV. menſ. 2. dies 27. obijt XV. Kal. Maij.

Templum diuite ſuppellectili ornatum. Res ſacra à 24. Sacerdotibus, Accolitis 6. peragitur. Aegrotis multi miniſtri addicũtur. Hoſpitium eiuſque res à ſodalitate, quæ olim ſanctæ Mariæ de Populo, quia in illius inuocationis templo fundata, hodie verò ad hoc, de quo nobis ſermo titulo ſancti Iacobi Incurabilium decoratum translata gubernatur. Ordo caritatis eximius, quem à ſodalibus præfatis accuratiſſime accepi, ſed hic non inſeren-

dus

dus nè præſcripto prolixior. Vltra ægrotorum quos ſuſcipiunt curam ſingulo biennio decoctam miſerabili morbo, quem gallicum perperam vulgus appellat, qui & ille ſpeciem incurabilitatis præſefert magnis ſumptibus afflictis diſtribuunt. Aedes hoſpitio veteri à Cardinale Saluiato adiectæ peramplæ ſunt, quibus inſcriptum.

Antonius Maria Card. Saluiatus à fundamentis erexit M. D. XC.

Excipiuntur incurabiles ægroti centum lectis, & pluribus, ſi ijs opus. Et hæc de ægrotorum hoſpitijs, quibus additur inſigne eximiæ pietatis inſtitutũ, quo valetudinarij, poſtquam eos febris reliquit ex ſupradictis ægrotorum hoſpitijs, vrbana rheda vehuntur ad hoſpitium de quo diximus ſanctiſſimæ Trinitatis, vbi per triduum excepti lautioribus, & validioribus vtuntur cibis, vt priſtinæ reſtituti ſanitati, labori, & ſolitis negotijs vacare commodius poſſint.

Huic non diſſimile Xenodochium ſancti Antonij in Eſquilijs, quod epidimia laborantibus fundatum, qui morbus cum omnipotentis Dei clementia rarò in Vrbe vigeat ex-

cipiuntur in eo claudi, manci, & mutilati.
Verùm quia non omnibus commodum, qui in febrem incidunt, propria domo relicta, ad publicum hoſpitium traduci, præſertim patribus familias, quos penes vxoris, & filiorum cura, ne præter corporis morbum animo crucientur eos auxilio eſſe ſtatuit Romana pietas, vt in propria domo curentur; huic operi addicta piorum ſodalitas ante annos 80. in Baſilica duodecim Apoſtolorum inſtituta, cuius confratres ſumma charitate huiuſcemodi ægrotis pecuniam, medicum, & pharmaca, ſi parochus illos probos atteſtetur largiter erogant; ex quibus liquet, vix excogitari quicquam poſſe in ęgrotorum ſubſidium, & leuamen, quod diuerſimodè eis in hac pietatis cultrice abundè non exhibeatur. Sodalitas protectorem habet Illuſtriſſimum Cardinalem Ludouiſium, qui cum ante paucos menſes Vrbe, vt Bononienſem Eccleſiam Archipræſul viſitaret, diſcederet, muneris vices delegauit Illuſtriſſimo Carolo Cardinali Pio à Sabaudia. Hic cum nuper primum ſolito ſodalium conuentui alieno nomine adeſſet quingentos aureos proprio pauperibus diſtribuendos elargitus eſt, luculenti addita oratione ſe in dies plura daturum: & niſi ob-
ſtaret

ſtaret ordinis dignitas, ſe libenter, vt cæteri faciunt ſodales, pauperibus propria manu diſtributurum, & hæc eloquentia non vulgari, vt & ipſa, ne dum pia liberalitas (quæ familiæ nomen dedit) omnibus eſſet admirationi. Eximia magno in viro concurrunt naturę, & fortunæ dona, primaria familiæ nobilitas, ſummo ordine cohoneſtata, exacta humanitas, rerum ſcientia, ac eloquentia exculta, & hæc ſine fuco, quam ſi narrationi adhiberem, & à proprio genio, & inſtituto ſimul recederem.

Ad hunc locum ſpectant Card. Burgheſij, & Ludouiſij laudabilia inſtituta: quorum primus pharmacopolium inſtruxit omni genere pharmacorum abunde repletum, quo vtantur pauperes pareciæ, in qua ipſe domicilium habet: alter verò pharmacopolium ſimile, ſed longe patentius, vtpote quod pauperibus totius Vrbis, illiuſque ſuburbiorum gratis elargiatur pharmaca cuicumque morbo applicanda: poſteriori, annui aurei addicti 2400

Et hæc de ægrotorum, & languentium Xenodochijs, quibus addenda duo alia, licet anguſta, elaphantiacis vulgo leproſis deſtinata, ambo diuò Lazaro, quia eo genere morbi laboraſſe creditur dedicata. Horum vnum ſitum

eſt

est extra muros Vrbis Leoninæ ad radices Montis amari, alterum ad radices collis Auẽtini via ostiensi: prius templum habet satis amplum, in quo quotidie missæ offertur sacrificium, alterum sacellum angustum missę sacrificio vix aptum, vtrumque tamen aliquot habet lectulos illius generis morbosis recipiẽdis accommodatos, qui vt per reliquum Orbem ex piorum eleemosinis viuunt.

De Nationalibus ægrotorum Hospitijs.
CAPVT IV.

Quamuis quæ recensuimus ægrotis curandis communia hospitia maximę vrbi sufficere possent, cũ si rectè numerum subducamus inueniemus in ijs sterni quotidie lectulos 1500. & inualescente morbo eos augeri; plures tamen nationes pauperibus suis particulari cura prouisum voluerunt, vt Castellani, qui separatim à valentibus peregrinis, excipiunt in eorum hospitio sancti Iacobi, de quo supra meminimus suæ nationis ægrotos, quibus omnia necessaria summa diligentia suppeditant; Idem præstant Flandri; in hospitio sancti Iuliani. Lusitani, in hospitio sancti Antonij; Insubres in hospitio sanctorum Ambrosij, & Caroli

roli: Ianuenses in hospitio Baptistæ. Armeni in hospitio Aegyptiacæ Mariæ: Arragonenses in hospitio Virginis de Monserrato; Britones in hospitio Iuonis. Galli in hospitio sancti Ludouici. Illyrici, & Dalmatæ in hospitio sancti Hieronymi, qui hoc magis præstant, quod eos ægrotos pecunia, medico, & pharmacis subleuent, qui in proprijs domibus curari malunt. His accedunt Pergamenses, de quibus hactenus nullam fecimus mentionem; fundarunt illi templum, & hospitium propè forum Antonini Diuis Bartholomeo, & Alexandro sacrum, templo Sacerdotum conueniens addictus numerus, hospitio excipiuntur ægroti nationales, quotquot in eo curari desiderant, siue pauperes, siue diuites hospitio amplæ ædes addictæ, & proprium pharmacopolium.

Florentini ægrotis fabricarunt hospitium non longè ab augustissimo eorum templo Baptistæ sacro ad Tiberis ripam. Senenses apud templum Diuæ Catharinæ Senensis via Iulia vtrobique magna in ęgrotos suæ nationis caritas.

De

De hoſpitijs certarum artium artificibus proprijs.

CAPVT V.

Vidimus hoſpitia Virginis Hortẽſis & SS. Rocchi, & Martini certarum artium ibi enumeratarum profeſſoribus particulari obligatione aſtricta eſſe eorum tamen aliqui, reſpuẽtes communionem propria ſuæ profeſſionis ægrotis ſtatuere hoſpitia, quorum primi ſint pharmacopolæ. horũ ſodalitati ab ann. 1450. conceſſa Baſilica S. Laurentij in foro Romano nunc Boario, Antonino, & Fauſtinæ Auguſtis olìm ab eius fundatione dicata, vt ex dedicationis titulo, qui etiam hodie legitur frontiſpicio inſcriptus.

Diuo Antonino, & Diuæ Fauſtinæ.

Hoc iuxta, ægrotis ſuæ artis cõſtruxerunt hoſpitium, opus ipſum Aſtorgio Agnenſe Card. Beneuentano promouente, curantur ægroti omni ſolertia, & nitore.

Piſtores Teutonici, quorum in Vrbe non paruus eſt numerus proprium etiam ſuis ęgrotis iuxta templum D. Eliſabethæ propè Campum

pum

pum Floræ voluere hoſpitium: templum ſuppellectile ſacra decenter inſtructum, hoſpitium lectis, & reliquis ægrotorum curæ neceſſarijs refertum, menſa & cura proba.

Quia magnus famulorum Pontificij Palatij numerus,ex ijs ſub anno Dom. 1537. coaluit pia ſodalitas, quæ retro Baſilicam Petri, à fundamentis extruxit D. Marthæ templum, & iuxta illud hoſpitiũ pro ægrotis famulis auliculorum, qui in ipſo palatio curari commodè non poſſunt. templum ob multas indulgentias ei à Pontificibus conceſſas eſt à fidelibus valde frequentatum, vt rarus inuiſet Petri Baſilicam, qui hoc de quo ſermo,non adeat hoſpitium, eſt tum lectis, tum reliquis ad curam corporis humani neceſſarijs abundè inſtructum.

Ariſtoteles auctor eſt, Calones,Caculas, Aurigas, & huiuſmodi genus hominum,quia beſtijs ſemper conuictitant,in ferinam ſæpiſſimè tranſire naturam, eos Vrbs Roma, ne dum cicures reddit, ſed ciuiles: ſodalitatem enim inter ſe contrahere; & in vnum corpus coaleſcere ciuilis animi argumentum eſt. Aurigæ igitur ſub anno 1580. piorum inſtituēre ſodalitatem, quæ hoſpitium ægrotis in campo Martio propè Tiberim aurigis, & rhedarijs

rijs

rijs ædificauit; excipiuntur hìc curandi huius artis ægroti, nec dimittuntur donec agnoſcantur, ſanitati reſtituti, vt equos regere, & currum ducere valeant, eorum in Vrbe eſt non temnendus numerus, vtpote, quia nobilium vrbana carpenta excedant 2000. demptis onerarijs, & ruſticis.

De infantium, expoſitorum, puerorum, puellarumq; orphanorum, ac miſerabilium ſenum hoſpitijs.

C A P V T V I.

Pergamus videre vt nullum vnquam cuiuſcumque conditionis, aut ætatis ægentes populorum altrix Roma auxilio deſtituat, ſed eos ab ipſa natali excipiat: exceptos, donec vixerint foueat, mortuos, ſupremo officio mandet. Solet in magnis, & populatis Vrbibus expoſitorum, non tam ob matrum culpam, quam parentum paupertatem ingens eſſe numerus, antequam ijs in Vrbe certus eſſet determinatus locus; dabant pœnas non proprijs; ſed parentumſeu fortunæ culpis, ac ferè omnes malè peribant. Innocentius III. vt ſupra oſtendimus angelica monitione innocẽtibus hoſpitium extruxit, ſancti Spiritus in Saxia, vt ex tabula ſupra relata.

Hic

Hic Innocentius III. de Comitibus admonetur per Angelum, vt hospitale pro saluandis expositis ædificat, & locum ei in Saxia designet, vbi passim omnes recipi, & educari debeant.

Excipiuntur igitur ad præscriptum Pontificis expositi, qui excepti nunquam expelluntur, aut deseruntur. Mares enim, vt per ætatem licet agriculturæ, vel arti alicui mechanicæ, iuxta cuiuscunq; genium, vel etiam litteris addicuntur, cuicunque exercitio addicti perpetuò si velint in eo fouentur. Femellæ nutricibus, & honestis matronis custodiendæ traduntur, puberes factæ, vel matrimonio locantur, vel relligioni nomen dare coguntur, & si viduæ relictæ ad hospitium reuerti cupiant benignè vti loci filiæ recipiuntur. Si miseria obueniat impuberibus, & illius ætatis, vt proprio marte victum sibi quærere non valeant, & hoc vtroque parente destitutis, habet Vrbs duo Orfanotrophia; vnum marium, feminarum alterum: priori principium dedit sub anno Domini 1540. piorum ciuium Romanorum tunc cœpta sodalitas, quæ indignè ferens impuberes masculos per Vrbem vagos esse, illis hospitium ædificandum censuit. Bono in-

no instituto Paulus eius nominis III, qui tunc Ecclesiæ præerat annuit, locumq; fabricæ assignauit prope Panteon, siue Basilicam Agrippæ, iuxta parochialem Ecclesiam sanctæ Mariæ in Aquiro titulo Visitationis, nec non ipsam ecclesiam, sodalibus, & hospitio vtendam concessit. prior Ecclesia funditus euersa, & sodalitas aliam in ampliori area magnificentiorem extruxit, ac piorum eleemosinis Ecclesiæ ingentem puerorum habitationi fabricam adiecit, cui operi multum profuit sæpe dictus, & dicendus Antonius Maria Cardinalis Saluiatus, qui Xenodochij censum solita liberalitate adauxit: collegium ijsdem pueris, qui litteris apti ducuntur magnificè ædificauit, ædificatum splendidè dotauit: cura templi ministrorum, ac totius Xenodochij penes, quam diximus sodalitatem: quæ puerorum à teneris genia perscrutans inter ipsos delectum habet, vt singuli applicentur illi exercitio, quod genio magis conuenire existimant. femellæ, quia mares feminis ijsdem tectis commisceri indecens, & suum habent hospitium, & quidem amplissimum propè Basilicam Sanctorum quatuor Coronatorum, quod olim Summorum Pontificum ferunt fuisse domicilium, in quo ingens earum

rum est numerus, qui instruitur, regitur, edocetur, ac gubernatur ab aliquibus, quæ ibi relligioni nomen dederunt sanctimonialibus; puberes effectæ ab eadem sodalitate dotatæ nubunt, sin minus pro earum libitu monasticam vitam vouent. Ipsa Basilica Cardinalatus titulo decoratur, qui hodie penes Illustrissimum Ioannem Garziam Cardinalem Millinum nuncupatum Papę Vicarium, virum in tuenda Ecclesiastica dignitate, & disciplina strenuum, doctrina & pietate eximium, in negotijs gerundis, vt plures difficillimæ, quas obiuit legationes ostendunt solertissimum. Hic nuper annosam Basilicam restituere, ac augustiorem reddere magnis sumptibus incœpit opus incœptum, bono fauente Numine perficiet, sub ara maiori plures à Summis Pontificibus conditæ Sanctorum relliquiæ, inter quas Diui Sebastiani, Martyris caput, eas dum hæc scribo populo venerandas exposuit, breui ditioribus thecis texendas & decentiori loco condendas. Verum quia in his Orphanotrophijs iuxta fundationum leges non recipiũtur, nisi vtroq; parente orbati, & Romanę pietati non conueniat, alios impuberes tam masculos, quàm fœminas, qui alterum parentem tantum vel etiam vtrumque habent, sed

mancos cœcos, aut alio Naturæ, vel ætatis vitio laborantes à quibus naturale subsidium non sperent, subuentione destitui; & hisce prouida liberalitate benigna miserorum fotrix Roma prouisum voluit. Ioannes Leonardus fuit siculus, vir vt opera eius demonstrant animi probi, ac singularis in ęgenos pietatis, hic cum ętate meliori,anteambulonem in Vrbe egisset, ac pueros non paucos per Vrbem vagos vidisset,illorum misertus, ingentem eorum contraxit numerum, quos penes se in diuersis,quas mutauit domibus piorum eleemosinis, vt melius potuit per plures annos aluit; erat litterarum rudis, & hinc inuerso per Ironiam vocabulo litteratum se dici voluit: puelli eius instituto beati, litteratorum retinent nomen. sanctum institutum, breui inuenit fautores, quorum Congregatio ędes hisce pueris coëmit peramplas propter arcum Domitiani, quibus paruũ adiectũ Sacellũ:hospitium iam nunc aliquo censu dotatum, sed sustentationi tantę multitudinis impari.Vnde ętate minores per Vrbis plateas à custode circumducti preces ac laudes Deo, & Virgini puerili concentu effundentes, sacram stipem rogant, maiores manuum labori intenti, sibi & socijs victum quęrunt, denique omnibus

bona

bona causa. Quod præcipuè in hoc opere laudandum, recta puerorum institutio est, qua à communibus iuuentutis vitijs opportunè in lubrica ætate retrahantur.

Idem Leonardus & puellas collegerat, sed quia marium, fęminarumq; curæ vnus satis non erat, fœminas deseruit, quæ à diuersis receptæ sub anno demum 1595. patronum inueneruut Hieronymum Cardinalem Rusticuccium: hìc coemptis iuxta templum Diuæ Euphemiæ ad forum Traiani pluribus ædibus amplum hisce puellis dispersis, vt dicunt, suadente venerabili Cæsare Baronio postea S. R. E. Cardinale construxit Xenodochium; ijs præposuit honestas matronas, quæ puellarum curæ intentæ, eas in omni sanctitate, & relligione instructas educarent. Paruulæ adinstar marium puerili cantu per Vrbem piorum opem implorant, maiusculæ acu, ac alteri cuicumque muliebri exercitio vacant: adultæ ad iussum rectorum, vel nubunt, vel relligionem profitentur. Xenodochio præsunt ex præscripto Cardinalis Papæ Vicarij, aliqui probiores præsbyteri; summa tamen auctoritatis penes Card. Vicarium. Puerorum continuo numerus, vt plurimum 300. idem ferè puellarum: institutum, & Congregatio pro-

tectorem habet Illustrissimum, & Reuerendissimum Ludouicum Cardinalem Ludouisium, qui sæpius iuxta exigentiam, vtrisq; sua liberalitate succurrit.

Non desunt in magnis Vrbibus peruersæ matres, quibus pudicitia nunquam cordi fuit quæ filias stupro, vt eas sibi similes reddant vili precio, & quandoq; inuitas obijciunt. Vt laniarum huiusmodi retundatur improbitas instituta in Vrbe sodalitas est, quæ magna sagacitate venatur infamium fęmininam prolẽ, inuentam à decimo, vsque ad duodecimum è perfidarum sinu abripit, ac cœnobio ad id extructo probis sanctimonialibus erudiendas tradit: hic in omni Christiana disciplina ritè instituuntur. puberes nuptui traduntur, vel si magis lubeat velantur; sumptus è cœnobij censu suppeditatur. Magnificum cœnobio ex marmore Tiburtino adiecit templum Diuæ Catharinæ sacrum, Federicus Card. Cœsius Episcopus Portuensis, vt templi portæ maiori inscriptum: Cœnobium regitur à sodalitate ciuium Romanorum ex primoribus, siue nobilitatem, & diuitias, siue probitatem attendas. Virginum numerus 200.

Matrimonij ius, ac venerabile nomen, apud Romanos, ac omnem aliam non barbaram

gentem

gentem ſumma fuit ſemper æſtimatione venerandum, apud Chriſtianos verò, ſolos bonorum operum iuſtos æſtimatores relligione ſanctum, quia videlicet vnicum ſtatuerunt humanæ neceſſitudinis indiſſolubile vinculũ, quo fundetur ſumma illa, & inexplicabilis inter virum, & vxorem amicitia. Nodus hic omnium amicitiarum perfectiſſimus, aliquando partium vitio, vel ſcinditur, vel certe laxatur. quando videlicet indiuidua vitæ conſuetudo moroſa contumacia offenditur: hinc iræ, rixæq;, & poſtremum communis Thori ſeparatio, quæ tam ob malas viri, quam mulieris conditiones euenit, & quia.

Fœmina ſola ſapit, quæ benè iuncta viro, ne ob ſeparationem ab eo, impudicitiæ labem contrahant, huiuſmodi male nuptis prouiſum de Xenodochio, in quo excipiuntur, donec illæ viris, vel illis viri fuerint integre conciliati. Xenodochium, Domus pia nuncupatur propè templum cœnobij, S. Claræ extructum cui hinc, & hinc ſeparata cœnobia, quæ tamen inter ſe, nonniſi quoad templum illis intermedium communicant. Domui præfecta ſodalitas Romanorum ciuium ex probitate prima, apud quos, & cœnobij monialium cura, de quo ſuo loco.

Sed nec meretricibus, quarum ingens semper ex peruersa mortalium natura magnis in Vrbibus numerus; ad cor reuertentibus deest Romana pietas. illis prope forum Antonini latum extructum cœnobium D. Magdalenæ sacrum, in quo recipiuntur quotquot præteritarum pœnitentes illecebrarũ, Deo se & reliquos vitæ annos dicare disponunt. Hic professionem emittunt regularem, & monasticam disciplinam adeò exactè, tantaque constantia seruant, vt videri miraculum possit fœminas liberiori vitæ generi assuetas arctiori instituto contineri. Fabricæ cœnobij, non exiguam partem adiecerat Petrus Card. Aldobrandinus, quam paucis ab hinc annis incendio conflagratam Paulus V. Pont. Max. magnificentius restituit: cura cœnobij penes nobilium tum ciuium, tum curialium societatem: quæ pœnitentibus nihil deesse patitur, numerus earum hodie ad trecentas ascẽdit. ferunt Paulum V. tunc cum cœnobium conflagratum inuiseret, ac multa veræ pœnitentiæ indicia inspiceret: collacrimasse, ac ad horridam pœnitentium mulierum sanctictitatem pene obstupuisse.

Verum quia nulla suscipitur, nisi prius professionem clausuræ perpetuæ emiserit, qua

emissa

emiſſa, non eſt pœnitentiæ locus, & veriſimiliter aliquas poteſt facti pœnitere, alię graui inſtituto à profeſſione terreri: Fr. Dominicus à Ieſu maria ex Carmelitanis reformatis, quos diſcalceatos vulgo appellant, nuper ex piorum eleemoſinis amplum conſtruxit cœnobiũ, quo recipiuntur mulieres, quæ mutata in honeſtiorem vita experiantur, an reformationi pares ſe ſentiant, & expertæ deliberent velint, nec ne profiteri, an verò ibidem in cęlibatu permanere.

Vidimus omnibus per ſingulas ætates, & gradus, noſtri ægentibus, vſque ad ſenium à Romana pietate prouiſum: non credendum eam deficienti ætati voluiſſe deficere. Senibus itaque necnon cœcis, claudis, mancis, aut alio naturæ vitio debilitatis, quibus labori non eſt par virtus, à Sixto V. Pont. Max. munificentiſſimo Principe, ampliſſimum extructum Xenodochium, eique addictus annuus diues cenſus. Xenodochio præfecta Congregatio proborum aliquot virorum, penes quos rerum cura, & ſuſcipiendorum iudicium. Suſcipiuntur pariter diuerſis ædibus viri, & mulieres, ac decenti victu, & amictu; donec vixerint relligioſe aluntur. Ex his videas lector, licet, nullam ætatem, ſiue infimam conditio-

nem inueniri humanam, quam vera pietatis fons Roma, summa caritate, vsque ad vltimum vitæ spiritum non comitetur: immò post mortem, pari affectu, vt cap. 11. demonstrabimus non prosequatur.

De Cathecumenorum Xenodochijs. CAPVT VII.

Non debuit Vrbs Roma, Christianæ fidei suprema sedes: ijs qui Baal abdicto, ex Hebræis, Saracenis, Musulmanis, ac reliquo per orbem dilatato atheismo, ad eam confluunt, de decenti hospitio non prouidisse. Ad radices Capitolij illis destinata sedes, & templum D. Io: Baptistæ sacrum; Hospitium satis amplum, in quo seorsim à mulieribus viri excipiuntur, qui ad Deum verum felicem faciunt transitum, imbuuntur Christianæ fidei sacris mysterijs: imbuti, baptismatis lauacro regenerantur, regenerati si adulti sunt & victum facile quærere possunt, dimittuntur, si senes retinentur, si pueri educantur; donec apti laboribus; puellæ, si infantes cum patribus venerint pariter educantur; donec non egeant altrice: nam tunc deducuntur ad cœnobium Cathecumenarum, ad forum Ner

uæ,

uæ, vbi educuntur in omni pietate, puberes effectæ nuptui traduntur, vel si magis lubeat in eodem monasterio, sub regula sancti Dominici relligionem profitentur; vtraque domus regitur à sodalitate proborum virorum ciuium, ac Sacerdotum; sumptus vero suppeditatur à Rectoribus templi Virginis in montibus, de quo suo loco. protector illis præest. Cardinalium vnus eximię probitatis, integritatis, & doctrinæ, qui Cathecumenorum solus ex pontificio diplomate est competens Iudex.

De panis, & vini, ac pecuniarum solitis eleemosinis. CAPVT VIII.

Ad radices Vaticani, prope Basilicam Apostolorum Principis Petri ab Occidente templum est non exiguum, Virgini sacrum iuxta quod amplum cęmiterium, quo non tumulantur, nisi aduenæ, & peregrini, incolas enim terram non recipere, plerique existimant, & pro sua opinione, exempla quædam oculis subijcere contendunt. Ferunt cęmiterio huic à peregrinis è Palestina, & illius sacris locis terrarum corbes fuisse antiquitus illatos; & hinc campi Sancti esse

sor-

sortitum nomen. Pone templum ampla domus, in qua Pontificum instituto quotidie excipiuntur in prandio tredecim pauperes à duobus Sacerdotibus illi officio præfectis. institutum emanasse piè credimus à Gregorio Magno sanctissimo Pontifice, qui mensa singulis diebus duodecim pauperes cum exciperet, excipere meruit loco tertijdecimi D.N.Saluatorem Iesum Christum,& hinc numerum hunc, vsque in præsentem fuisse relligiosè seruatum. Vltra hanc eleemosinam,eorumdem summorum Pontificum liberalitate, singulis diebus Veneris in honorem Dominicæ passionis distribuitur panis, & vinum, & quidem satis abundanter; duobus pauperum millibus. Xenodochium sancti Antonij quotidie singulis pauperibus, qui illuc accedunt præbet duos panes.Hospitium sanctissimi Saluatoris prope Lateranum quotidie singulis pauperibus erogat tantum panis, quantum victui vnius diei sufficit. Idem præstat cœnobium sancti Pauli in via Hostiensi. Xenodochium etiam sancti Spiritus quotidie vesperè, ingenti pauperum multitudini erogat panem, & vinum: verùm quia prædictæ eleemosinæ non fiunt, nisi coram petentibus, & multi,vel ob locorum distantiam, vel quia ex honestis fami-

familijs ad paupertatem redacti cum reliquis panem ostiatim petere erubescunt, hisce iusto titulo verecundis, sagaciter prouisum per societatem SS. duodecim Apostolorum, de qua supra habuimus sermonem. Exposita est in templo occlusa capsula in quam, proijciantur per rimam supplices libelli, quibus egens exprimit necessitatem, designat habitationis locum. ter in Sabbato capsula ab officialibus recluditur, leguntur libelli, transmittuntur è societate viri ad miseros, qui iuxta indigentiæ qualitatem supplicibus subueniant. Idem institutum seruat sodalitas Caritatis sub Leone X. in Ecclesia sancti Hieronymi propè Farnesianos erecta, hæc singulis diebus Sabbati ingentem pauperibus distribuit panis quantitatem, verecundioribus pecuniam pro arbitrio confratrum, quorum pietate, & munificentia adoleuit, & fouetur.

Licet hactenus viderimus plurima Pontificum liberalitatis, munificentiæ; & in proximum caritatis instituta: quibus muneri abundè satisfactum sit: non tamen hic eorum terminus, sed ea præter, summi Romani Pontifices menstruatim, mendicantium cęnobijs, reliquisque verecundis pauperibus distribuūt ingentes pecuniarū summas, quæ veniunt sub nomi-

nomine eleemosinæ cēsis, & pro tēporū qualitatibus augetur numerus, qui per Eleemosinarium secretum vt vocant, in dies erogatur, cui certus non præscribitur dandi limes. Pontificem sequitur sacer Senatus omni virtute & præsertim in pauperes liberalitate conspicuus, cuius singulos patres nominatim recensere, quia institutum excederet pretermittam. Vnius Alexandri Peretti Card. de monte alto nuncupati Sixti V. è sorore pronepotis, repertum, & subductum è libris rationalium, illum erogasse in pauperes millies, & septingenties aureorum millia, præter eleemosinas quas propria manu viuens distribueret: & munifica dona, quæ in amicos conferret: pecuniarum sane summa quæ vt ita dicam Regia è gaza potius, quam è præsulis penu, videatur deprompta. ab hoc vno disce omnes.

De monte Pietatis, & Depositorum.
CAPVT IX.

Nihil in magna Ciuitate conuenientius, quam pauperum commoditati receptis pignoribus præbere mutuam pecuniam, & nullam inde exigere vsuram. sub Paulo III. è pau-

perum

perum manu recipiendis pignoribus destinatus est locus sub vocabulo montis Pietatis, & depositorum, qui tum Pauli supradicti, tum aliorum Summorum Romanorum Pontificum liberalitate, & priuilegijs in hunc diem valde excreuit, recipiuntur hìc quotquot pauperum, ac egentium afferuntur pignora: nulla, saltem considerabili pro mutuata pecunia recepta vsura tempus luitioni præscriptum menses octodecim, si pignorantes pignora non repetant, venduntur sub hasta, notatur, quanti diuendita, & hoc quod plus data pecunia distrahuntur, restituitur pignorum dominis, quandocumque tandem repetant, cui repetitioni nullus præscriptus est terminus, ingens est loci ministrorum numerus, quibus omnibus menstrua assignatur pro laboribus merces, ex penu loci deducta. gubernatur à Congregatione proborum aliquot virorum, tum ciuium Romanorum, tum curialium, qui rationes prouentuum accuratissimè subducunt, ne apud ministros locus sit fraudi: opus ipsum est profectò summæ pietatis &,pauperibus summopere vsui,nam subueniunt non solum pauperes Vrbis,sed & pagorum, castrorum, & oppidorum circumiacentium: quibus magnum est lucrum pecu-

niam,

niam in mæſſem accipere, & eam meſſe collecta recepto pignore reſtituere.

De Carcerum viſitatione, ac carceratorum ſubuentione. CAPVT X.

Quoniam in magna populi diuerſarum nationum colluuiè frequentia committi ſolent delicta, eorum coërctioni plures conſtituti in Vrbe publici carceres,& decreti Iudices,quorum eſt in ſontes animaduerſio: Hi ſunt Vrbis Vicarius, Camerarius, Gubernator,Auditor Cameræ, Populi Senator, & alij non pauci. Iudices, cum vt plurimum non per ſe ipſos, ſed per ſubſtitutos iudicium exerceant contingit, vt aliquoties rei, vltra quam noxa expetat, in compedibus detineantur huic malo obuentum per Viſitatores, ad id deputatos,qui ſingulis menſibus carceres viſitant, & detentos, ſiue ſontes, ſiue obæratos, quos grauatos iudicant, dimittendos decernunt, ſeu pęnam impoſitam pro eorum arbitrio, vel tollunt, vel moderantur. Sodalitatis Charitatis, de qua mox meminimus, licet in pauperes liberalis exiſtat, præcipuum inſtitutum eſt: carceribus detentos omni ope quoquo poteſt modo auxilio eſſe: hæc itaque prælatum

tum deputat, cuius eſt, viſitationi carcerum vna cum Cameralibus adeſſe, reorum partem acerrimè tuetur, & ne ſolus laborioſum obeat munus: adiuncti honeſto ducti ſtipendio procuratores, qui reorum viſis, & examinatis proceſſibus eoſdem, & verbo, & ſcripto pro viribus defendunt. Horum pauperibus carceratis, maximus eſt vſus, licet enim Camera Apoſtolica iſtorum defenſioni aduocatum, & procuratorem addixerit, nihilominus tot cauſſarum numero non ſunt ſatis. Pręter hanc exquiſitam reorum defenſionem, eadem ſodalitas ter in hebdomade pauperibus diſtribuit panem, infirmis medicum tranſmittit, pharmaca, ac reliqua curationi neceſſaria largiter, elargitur. Præcedenti capite diximus ſocietatem hanc apud ſanctum Hieronymum Sacerdotum Xenodochium alere: ex hoc in ſingulos dies deſtinat, qui ſacrum miſſæ officium carcere detentis ne hoc ſolatio deſtituantur celebrent. Præter huius eximiam in vinctos ſodalitatis caritatem, plures alij oſtiatim panem, & obolariam ſtipem ijſdem diſtribuendam rogant; inter quos Societatis Ieſu Relligioſi. Sodalitas Miſericordiæ Florentinorum ſtatis anni feſtis diebus carceratis lautius prandium exhibet. Concionatores

tores sæpissimè è suggestu congestam pecuniam, vt liberaliori detur manu carcere detentis publicant: quibus officijs miserrimo mortalium statui, quodammodo succurritur, & infelicium pœna; si non tollitur saltem magnopere lenitur.

Extat & altera in Vrbe erga carcere detẽtos pia apud Collegium S. Ioannis de Pinea, prope Mineruam, ciuium Romanorum, & curialium Congregatio, Sixti V. Pont. Max. munificentia decorata, quæ singulis ferijs secundis in omnes carceres Visitatores mittit, vt recenter vinctorum nomina, Patriam, caussam, Iudicem, & notarium fideliter excipiant, & singulorum carceratorum expeditioni caussę apud Iudicem, & notarium summa charitate, & sedulitate diligentiam adhibeant. Est etiam huius Congregationis institutum bis quolibet anno in festo Natiuitatis, & Resurrectionis Domini pro vinctis omnibus ęre alieno grauatis citrà centum nummos argenteos benigna liberalitate creditoribus summam omnem persoluere, & è carcere eductos, ac nummo argenteo donatos in proprias domos benignè remittere.

De

De Dotium liberali elargitione.
CAPVT XI.

Nihil eſt quod rectè adminiſtratam rempublicam magis deceat, quam probè ſeruata mulierum pudicitia, ſine qua nec conſtans inter homines amicitia, nec efficax, qui in incertitudine prolis cõſiſtit erga patriam amor. Aciem ituris, vt ſtrenuè rem gerant fortiter dimicent: per duces obijciuntur, aræ, foci, vxores, liberi: quos ſi communes putent non cruore, aut vulnere, tanta virtute ſeruaſſint. Romanorum leges huic vni maximè prouiſum voluere, barbaros ratæ, qui fęminas plurium libini exponerẽt. Multarum inoleuit cõſuetudo prouinciarum: vt capite damnati modo non maieſtatis, aut proditionis rei abſoluantur, ſi illicò publicam meretricem in vxorem duxerint, vt videlicet malum, è ciuitate tollatur exemplum; & reipublicæ certa, nono vaga naſcatur proles. ſi tanti fęminam è meritoria deducere, quanti exiſtimandum erit caſtas, ne ſtupro dotem mereri cogantur liberali ſubuentione præſeruare? Hoc in opere, vt in reliquis omnibus cęteras quaſcumque Vrbes excellit, Parens Roma, vt ex

ingenti dotium numero, quæ per annum distribuuntur liquidè patebit, quarum tamen certum numerum, assequi non est facilè; nam licet Dotes in vim piorum legatorum debitę vniformes sint, & earum ratio facilè subduci possit, eas præter, dantur innumeræ, à sodalitatibus, quę non huic soli operi, sed alijs multis intentæ dotes exhibent iuxta census annui reditum, vt si in alijs operibus multum expositum, dotibus assignandis minus relinquatur, si parum in reliquis, id totum elargitioni dotium accrescat, & quia singulæ præsertim, quę vi legatorum debentur ad publicam notitiā non perueniunt, referam eas, quarum ego scientiam habere potui.

Anni igitur die prima puellas dotat Societas sanctissimi nominis Dei, fundata in Ecclesia sanctæ Mariæ supra Mineruam. die 7. sodalitas Stabulariorum. die 14. Legatum Sacelli S. Hilarij in Basilica Lateranensi, & eadem die suas nationales societas sancti Iuliani Flandrorum. 2. Februarij, societas sanctissimæ Eucharistiæ in sanctę Marię in via lata. die 9. societas sanctæ Apolloniæ in sancti Augustini. die 25. Martij, societas Virginis Annunciatæ supra Mineruam, quæ reliquas omnes in hoc excedit, vt quæ quotannis die prædi-

cta ducentas, & vltra puellas matrimonio locet, & hanc ſocietatem exiſtimo huic operi dediſſe principium, in quo à Leone X. Pont. Max. valde fuit adiuta, & eandem poſtea Vrbanus VII. Pont. Max. ex aſſe dixit hæredem. Diſtribuuntur dotes huius ſocietatis puellabus, nobilibus matronis adductis, candida veſte amictis, ac capite velatis ab ipſo Summo Pontifice, qui proprijs manibus peram cum ſyngraphis publicè inter miſſarũ ſolemnia eiſdem porrigit. Eadẽ die puellas dotat, Coquorum, Condorum, ac Placentariorum ſocietas in ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij. Prima Maij, dotes elargitur, ſocietas Mulionum in ſancti Antonij. Die 12. eadem ſocietas Annunciatæ Virginis, particulari largitione dotat puellas Senenſes, die 19. eiuſdem eaſdem dotat ſocietas ſanctæ Catherinæ Senenſis. die 26. ſocietas Neapolitanorum in ſancti Spiritus, eiuſdem nationis templo. Nona Iunij, ſocietas ſancti Iacobi vulgo Scoſſacauallo, die 11. Societas SS. Nazarij, & Celſi in eodem titulo, die 19. ſocietas officialium Capitolij in ſanctæ Mariæ Araceli, & eadem die ſocietas ſancti Franciſci de Padua in dicto titulo. die 24. ſocietas Pietatis Florentinorum, quæ differt, vt infra videbimus à ſodalitate

Misericosdiæ, de qua mox habebimus sermonem, & eadem die Ligures puellas suæ nationis in sancti Ioannis Baptistæ gentis tit. sextu Augusti societas Saluatoris in sanctæ Mariæ supra Mineruam, die 10. societas sancti Bernardi in sanctæ Susannæ, die 15. quæ est Virgini Assumptæ sacra, Societas Confalonis, & eadem die societas sancti Rocchi in dicto titulo, die 22. societas sacri Rosarij in sanctæ Mariæ supra Mineruam. 8.Septembris Natiuitati Virginis sacra, societatis Annunciatæ Confalonis, & de Laureto, die 15. societas S.Marcelli in dicto titulo, die 15. societas Laniorum in sanctę Marię de quercu, die 29. societas S. Michaëlis Archangeli in dicto titulo, die 30. societas Charitatis Curialium in sancti Hieronymi. die 4.Octobris societas Saluatoris in Laterano, eadem die societas Confalonis, nec non societas Bononiensium in eorum Oratorio sancti Petronij, ac societas sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & conualescentium. die 6.societas Rosarij in sanctę Mariæ supra Mineruam. 4. Nouembris, legata pia in sanctæ Mariæ de Aracæli, die 12.societas Sutorum in sancti Homoboni, 6. Decembris societas sancti Nicolai Lotaringhorum in sancti Ludouici, die 8.societas Conceptio-

nis

nis Virginis in ſanctę Marię ſupra Mineruam. die 26. ſocietas ſancti Saluatoris in Laterano. hiſce accedunt, quæ particularibus Legatis debentur, quarum ingens eſt numerus, necnon quæ ab alijs ſocietatibus, & præſertim nationalibus, non ſtatis diebus, ſed iuxta temporum, aut perſonarum neceſſitatem erogantur, quas omnes ſi ſimul colligas ad magnam & ferè incredibilē annuā aſcēdent pecuniarū ſummam. hoc aduertendum non omnes huiuſcemodi dotes eſſe inter ſe æquales, ſed vnas alteras excedere: ſocietatum enim alia, triginta; alia quadraginta, alia quinquaginta dotis nomine elargitur. Virginis Annunciatæ octuaginta, & inſuper, ijs magìs veſtem, & muliebria ſandalia. Erogandis dotibus ordo eſt, vt puellæ nubilis nomine ſocietati exhibeatur ſupplex libellus, in quo exprimatur conditio Virginis, ætas, habitatio. Deputantur ex ſenioribus Viſitatores, qui coniunctim oratrices, earumque domos viſitant, ſi honeſtas ex vicinorum, Parochiq; relatione repererint dotandis in Congregatione, relatione habita, aſſcribunt, ſi ſecus relationem de ijs omittunt, aſſcriptæ certiores redduntur, vt ſi matrimonium contrahere eueniat, hanc ſummam doti promiſſæ adijciant, ſi vero aſſcriptarum, &

ad dotem admissarum, aliqua minus honestè, quàm Virginem decet se gesserit, ei protinus dotis beneficium amisisse renonciatur, in quo magnus seruatur constitutionum rigor. Et quia vnica prædictarum dotium oneribus matrimonij non est satis, possunt vnæ, & eædem, multas & diuersas à sodalitatibus accipere dotes, ita vt non minoris quam quadringentis, aut quingentis dotatæ nuptui tradantur. Iam nunc dum hæc scriberem mihi relatum nuper obijsse pium, ac diuitem virum, qui testamento legauerit quotannis certum pensum in publicas meretrices (si velint) matrimonio decenti dote collocandas: opus religiosissimè excogitatum, & quod pietatis apud omnium retributorem inueniet pręmiũ

De Charitate in mortuos. CAP. XII.

Non existimandum, quod pietatis cultrix Roma, quos viuos tot maternæ pietatis argumentis prosequuta est mortuos iustis destituat. Prima omnium sodalitas Pietatis, quos per Vrbem defunctos inueniret, seu Tiberi mersos sciret, inueniendos, & honesto in sacris tumulo condi curauit: Sed quia vt vidimus multis est alijs operibus intenta, erecta

pio-

piorum ſodalitas, quæ huic muneri, & non alteri incumberet, ac pauperum quibus non ſupereſſet, vt decenti pompa Chriſtiano ritu efferri poſſent; iuſtis funeribus, decenti cereorum numero, ac Sacerdotum, & Confratrum ſtipante Choro, cadauera efferenda curaret etiam ſi è ſuburbijs, è Pomerio, ex agris, & longius diſtantibus campis eſſent deducēda. Nec imbres hyberni, aut æſtiui calores piũ inſiitutum, vel in minimo remorantur, vt non vnicum in Vrbe ſit inuenire Tobiam. huic operi iungendum Florentinorum, ſeu potius commune Hetruſcorum admirandum erga ſontes plectendos flagrantis caritatis inſtitutum. Pridie quam reo damnato debita infligatur pœna; hæc ſodalitas aliquos ex ſuis difficillimo muneri magis aptos & plerumq; ex prima nobilitate, ad carceres, in quibus plectendus reus detinetur trāſmittit. cui mortis ſententia nonniſi hiſce præſentibus indicitur; ille teterrimo accepto Nuncio, illicò plerumq; proſternitur, eiulat, cruciatur, agitatur, diſtrahitur, verſatur in pœnarum rota miſer, factum negat, Iudicem interpellat, ac nullam animi mentem habens, meritam vltionem, tanquam aſtrorum neceſſitatem ineptus accuſat, ac quæ per ſcelera accidunt ſua, Deo

 bla-

blaſphemus imputat. Miſerum ſodales humanioribus verbis excipiunt. immo benignis amplexibus è ſolo proſtratum eleuant, & pro cruciandi conditione ad patientiam, multis ex Chriſtiana pietate argumentis exhortantur. Deum ipſum eius cauſſa carnem ſumpſiſſe, naturæ incommoda toleraſſe, & nullo vnquam perpetrato ſcelere mortem Crucis ſubijſſe. Illum plurima peccata, & quidem atrocia commiſiſſe; Deum ſæpius ad mortem offendiſſe, debitas eum proinde tot flagitijs dare pęnas: & reliqua, quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem reuocantur, opportunè ſuggerunt: donec facinora faſſus ad veram pœnitentiam Deo conciliatus reducatur. Totum tempus, vſque ad horam ſupplicij diuinis ſermonibus datur, qua appropinquante ſacrum miſſæ cęlebratur officium, in quo plectendus ſynaxin ſumit, eaque refectus foras producitur, ſodales bini, ac bini nigris ad pedem talaribus (ſaccos vocant) induti, capite cooperti nigram geſtantes crucem, moriturum preces recitando præcedunt: duo qui nocte præcedenti plectentis mentem curarunt, medium qua tranſit per Vrbem humeris, brachijſq; ſubſtinentes ducunt: inter ſupplicia ad conſtantiam exhortantur; hac via ad vitam tendi multa perſua-

ſione

ſione oſtendunt, regnum Cęlorum vim pati, vel ipſo Saluatore Chriſto auctore rememorantur, nec miſerum donec ſpiritum exhalauerit deſerunt. Peracto ſupplicio bini ſummo ſilentio recedunt: ante veſperam eodem ordine ad ſupplicij locum redeunt, infamem laqueum nobiliſſima manu præſcindunt, ac cruciarij cadauer nigro impoſitum feretro, ad ſocietatis templum diuo Ioanni decollato ſacrum, funebri pompa deferunt. Si quid Lector hoc opere audiſti excelſius, publico bono prome, debebitur tibi publica gratitudo.

Finis Primæ Partis.



TRA-

TRACTATVS DE PIETATE ROMANA THEODORI AMYDENI

PARS ALTERA.

Quæ eſt de operibus Caritatis Spiritualibus.

De Puerorum in Chriſtianæ Religionis ſacris miſterijs, & primis litterarum rudimentis, inſtructione.

CAPVT PRIMVM.



PERVM Caritatis Spiritualium, quæ ad certam normam reduci poſſunt, omnium primum eſt ſana doctrina imbuere ignotantes: quod quam proficuum ſit in Republica, infœlicia noſtrorum temporum exẽpla demonſtrant. Ab ipſa ferè infantia Chriſtianæ, & Catholicæ fidei miſterijs puelli in ſingulis paræcijs feſtiuis diebus, magna cura

cura instituuntur, multum enim interest, quo liquore recens confectum vas, cuius odorem diutissimè, ne dicam perpetuum seruat repleatur. Nouerat hoc perfidus pariter, ac sagax Ecclesię hostis Iulianus in maximũ Reipublicæ Christianæ damnum. Incumbitur huic operi, ne dum per ipsos Ecclesiarum Rectores, sed per Sacerdotum Collegium, huic muneri addictorum; quibus aggregata sodalitas Laicorum, qui diuisi per parœcias, vicariam subeunt operam: & licet sine litteris puelli fidei mysterijs initiari possint, si accepta firmiter memoria retinuerint; facilius tamen cum ijs agitur, qui litteras didicerint: vnde per Vrbis regiones erectæ extant, publicæ scolæ, quarum magistris stipendium præbetur è publico & non ante multos annos aliqui summa in pueros pauperes pietate prędıti viri, hoc onus in se susceperunt, quibus postea Clicerius Lādrianus nobilis Insuber, Commēdatarius monasterij S. Antonij Placentiæ non parum incrementi adiecit, & Summi Pontificis approbatione pio prædictorum virorum Collegio, Templum S. Pātaleonis prope plateam Agonis in medio Vrbis assignatum fuit, & ædes sufficientes receptui ducentorum supra mille puerorum pauperum numero. Huc vndique

con-

concurrunt mane, & vespere cuiuscumque conditionis pueri, quibus in classes diuisis maxima adhibetur cura: imbuuntur primis rudimentis, simul ac Christiana pietate, & ne scola dimissa per Vrbem vagentur, ijdem professi illos binos & binos ad eorum domos ad vnum vsque concomitantur. Opus hoc, vel hinc existimaui valde pium, quod illi addicti, longe sint, ab omni ambitione, siue elatione spiritus: non enim nisi cum puellulis, & quidem pauperibus ijs res est, quibus non scientias, sed vt omnem ostentationem effugiunt primas litteras docent.

Institutum hoc, quia Reipublicæ vtile visum, per Italiam dilatatum est & facillimè per vniuersam Europam propagabitur.

De Vrbis Romæ Vniuersitatibus, & Gymnasijs. CAPVT II.

Puelli quos diximus in publicis scolis primis imbuti rudimentis cum per ętatem, & corporis vires licet, quia pauperum, vt plurimum filij iuxta parentum institutum arti addicuntur mechanicæ, reliqui, qui Męcenates, seu parentes nacti ditiores ad publicum dimittũtur Vrbis Gymnasium, siue Collegium, seu

mauis

mauis vtrumque. Fūdauit hoc, nunquam ſatis laudandus Gregorius Pont. Max. eius nominis Decimus tertius; illudque patribus Societatis Ieſu regendum dedit : fabrica nondum perfecta, ſed quæ extat regie magnifica: tantus eius eſt ambitus, vt non vna domus, ſed oppidum videatur. Aluntur, hic eiuſdem Societatis Relligioſi tum Lectores, tum Auditores ducenti, ex Auditoribus ad lecturam promouentur, qui in ſcientijs abſolutiores euadunt, non in hoc ſolo Collegio, ſed per vniuerſam Italiam. Addictus loco, congruus ab eodem ſanctiſſimo Pontifice annuus cenſus. legitur mane & veſpere miro Auditorum tum ex ſæcularibus, tum ex alijs Relligioſorum Cœnobijs; immo ob gymnaſij totius Orbis celeberrimi famam ex diuerſis Italiæ Vrbibus concurſu. Docetur in primis lingua græca, & latina in diuerſis claſſibus, grammaticæ additur Rhetorica, & Logica, & ſi quæ artium alia ad litteras confert humaniores. hiſce abſolutis, auditoribus integrum eſt reuoluere an operam dare velint, ſcientijs, quæ ibi profitentur hoc eſt Philoſophiæ, & Theologiæ, ſeu potius malunt Iuri prudentiæ, & Medicinæ incumbere: ſi prima ſtudia placent omnem audiunt Philoſophiam, naturalem & moralē,

nec

nec non Mathematicam , & si progredi lubet Theologiam, siue scolasticam, siue moralem. Si secunda magis arrideant conferunt se ad Vrbis vniuersitatem, Sapientiam vulgò nūcupatam. habet vniuersitas hęc amplissimum,& augustissimum Gymnasium, ac omnium sciētiarum professores publico,& amplo stipendio conductos. Verum quia Philosophia,& Theologia apud Patres Societatis Iesu valde florent earum hic professores vix inueniunt auditorem . Iuris prudentia tamen in multas classes distributa , quemadmodum ars medica professores habet in omnibus ad artem spectātibus, & auditores quamplurimos. Professoribus datur stipendium,è Principis vectigalibus, plurium Summorum Pontificum , & præsertim Leonis X. & Sixti V. munificentia assignatum . loci regimen quoad pęnum penes Camerarium, & Cameræ Apostolicæ clericos; quoad professores , & lecturam penes Concistorialis aulæ Aduocatos ; penes quos auctoritas Auditores licentiandi , ac doctoratus laurea, in Iuris prudentiæ facultate decorandi . Promotio vero professorum Sacræ Theologiæ spectat ad Sacri Palatij Apostolici Magistrum , de quo suo loco fusius habebimus sermonem .

De

De Priuatis Vrbis Collegijs.
CAPVT III.

Præter hæc duo publica Gymnaſia, plurima alia Vrbs Roma habet priuata Collegia, à diuerſis Summis Pontificibus, S. R. E. Cardinalibus & alijs Eccleſiaſticis viris fundata, quorum alumni, vel proprios habent Lectores, vel publicæ lectionis hora iuxta locorum instituta, ad ſupradicta conueniunt publica Gymnaſia, & lectione audita ad ſua redeunt Collegia. Horum Collegiorum primum ſit Seminarium Romanum, quod Pius eius nominis IV. Pont. Max. iuxta diſpoſitionem Conc. Trid. inſtituit, & fundauit, in quo centum voluit ali adoleſcentes, qui in ſacris litteris iuxta præſcriptum Concilij inſtituerentur, aſſignato, ijs, eorumq; Rectoribus competenti annuo cenſu, ex Eccleſiaſtico Vrbis prouentu deſumpto. Seminarium regitur à Relligioſis Societatis Ieſu, exactiſſima erga adoleſcentes cura. vltra Alumnos, qui publico aluntur, Seminarium præfatum recipit nobilium filios, qui conuictores diſtincto ab alumnis appellantur nomine. Hi menſtruum ſoluunt penſum, maius quam ſoluatur pro

ſingu-

ſingulo Alumnorũ, quos etiam numero longe excedunt, quia non ex ſola Vrbe, ſed vniuerſa Italia, vt hic erudiantur commigrant, immò etiam vltra Alpes, & maria conueniunt. Sanè dum ego hoc in Seminario quinquẽniũ ſilerem Pythagoricum, conuiuebant vno eodemq; tempore, Germani, Belgæ, Galli, Hiſpani, Poloni, Illirij. Cultus, & educatio adoleſcentum admiranda, imbuuntur ſimul pietate, & litteris; lectiones audiunt in Collegio Romano. ſingulæ claſſes ſuos habent Repetitores ex patribus, coram quibus fit repetitio eorum, quæ à Lectoribus audiuere. Singula cubicula ex ijſdem Relligioſis habent præfectos, qui adoleſcentes nunquam deſerunt, ſed prandentibus, cœnantibus, obambulantibus, Collegium adeuntibus, & redeuntibus ſemper adſunt. Victus abundans, & frugalis. Eundem morem ſeruant cętera omnia Collegia, quę Patrum Societatis ſubiacent regimini hic ordine recenſenda.

Iulius III. Pont. Max. Collegium in Vrbe fundauit pro nationc Germanica, apud quam cum Lutherus immane impietatis monſtrum impotenter ferociret, exiſtimabat Alumnorũ opera, qui Roma in Germaniam remearent, ſeductos ad ſanam doctrinam poſſe reduci: vel

illum

illum concepta ſpes fefellit, ſed cum ipſe debitum naturæ ſoluiſſet; collegium quod competenti annuo cenſu ſuffultum non erat, valde refricuit adeò, vt ferè ad internecionem redigeretur. Gregorius deinde XIII. Pont. Max. pro maximo erga domum Dei zelo, idem Collegium approbauit, ac de nouo aſſignato ei amplo annuo cenſu fundauit. Regimen: vt reliquorum Collegiorum ab ipſo fundatorum penes Religioſos Societatis Ieſu eſſe, Collegiū Germanicum, & Hungaricum appellari voluit, quia vna cum Germanis recipiuntur Hūgari, & nonnihil Belgæ. Aluntur in hoc Collegio alumni 150. plus minus, ijſque honeſtus ſuppeditatur victus, & amictus, accedunt vti de Seminario diximus ſtatis horis lectionibus publicis audiendis Collegium Romanum. adſunt inter eos primariæ nobilitatis adoleſcentes, qui abſolutis ſtudijs in patriam reuerſi egregiam Catholicæ fidei nauant operam: Collegio addicta Eccleſia parochialis ſancti Apollinaris prope circum Agonalem, necnon ampliſſimæ illi adiacentes ędes. Sacra ab ipſis celebrantur alumnis, quibus additus muſicorum Chorus celeberrimus, cui ſoli aſſcripti annui aurei bis mille.

Idem ſanctiſſimus Paſtor Gregorius ferè

cæteris omnibus nationibus in Vrbe fundauit Collegia, quæ relligionis, & fidei haberent sectionem. Anglis assignauit Templum sanctissimæ Trinitatis prope campum Floræ, vna cum adiacentibus ædibus valde amplis, ac annuum sufficientem censum. Græcis à fundamentis extruxit Collegium, & Templum Diuo Gregorio Nazianzeno sacrum, via Flaminia; illudq; annuo prouentu dotauit. Maronitis, hoc est montis Libani habitatoribus in hunc diem fere prodigio Christianis, ędem, & collegium à fundamentis similiter extruxit, ad radices montis Quirinalis annuo adiecto censu, vt vera relligione imbuti, aliquando ad suos reuersi, quæ rectè didicerunt probè reliquis præmonstrent. Reuersuris ob itineris longitudinem amplum viaticum præbetur. Neophitis hoc est ex hebreismo, siue atheismo recenter ad Christianam pietatem conuersis, amplissimum vt principia indicant, struere cępit Collegium, iuxta Basilicam Agrippæ, sed morte præuentus absoluere non potuit. Clemens deinde VIII. opus inceptum erogata pecunia promouit. Idem Clemens Scotis in Quirinali ædificauit Collegium, annuoq; reditu dotauit. Singula præmissa Collegia reguntur à Patribus Societatis Iesu, eorumque

rumque

rumque alumni, campanæ pulsu euocantur, publicis lectionibus audiendis ad Collegium Romanum, vt superius de Seminario diximus Romano.

Sacra Domus Lauretana orbi notissima, ab antiquo aliquos alebat in Vrbe adolescentes Illirios, qui litteris, & præcipuè sacris operam darent, & ad suos reuersi eos sana doctrina instituerent. Carebant communi Collegio, quod ipsis Clemens præfatus Gregorianæ innitens pietati, & zelo amplissimum assignauit in campo Martis ad Tiberis ripam, illudq; de suo nomine Clementinum appellauit: Relligiosis Congregationis Summascæ regendum tradidit, qui (vltra Illirios, pro quorum singulo prædicta sacra domus centum annuos persoluit) more Seminarij Romani excipiunt conuictores nobilium per Italiam filios, quos pietate, & litteris instructos parentibus restituunt. Lectores Collegium hoc, habet eiusdē instituti, Grammatices, Rhethorices, Philosophiæ, & Theologiæ, & publicum Gymnasiū vti reliqua Collegia, huius Collegæ non frequentant.

Dominicus Capranicensis fuit primariæ vir nobilitatis Romanæ, hìc à Martino V. vltimo ferè vitæ spiritu Cardinalium numero

afscriptus, Collegium fundauit, Capranicum ab eo nominatum, in proprijs ædibus non longe à Basilica Agrippæ, in quo 32. ali iussit adolescentes, qui Theologiæ, siue Iurisprudentiæ operam darent, nec nisi doctoratus recepta laurea, inde recederet. Regimen Collegij esse voluit penes sodalitatem Saluatoris ad Sancta Sanctorum, electionem verò Alumnorum, siue scolarium penes plures, & diuersos. Singulæ Vrbis regiones electionem, seu præsentationem habent vnius. Regio verò montium Columnæ Triuij Campi Martis, & Pineæ duorum familia: Columnensium, sex; familia Capranicensium septem; Archiepiscopus Firmanus, & Episcopi, Anconitanus, & Fanensis singuli vnius, & licet vt diximus vniuersum regimen sit penes præfatam sodalitatem, illa tamen tresdecim suo de gremio deputat summæ probitatis viros, apud quos particularis Collegij cura, & ius electos, siue præsentatos approbare, vel si indigni reperti reijcere: non enim admittuntur, nisi ingenui, & honesti. Iacet vir maximus in sanctæ Mariæ supra Mineruam, vbi sequens cernitur Epitaphium.

SEDENTE PAVLO II.

Dominico Capranicensi tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero Card. Antistiti Firmano maiori penitentiario xij. Apostolicis legationibus claro, pacis Italiæ in annos 25. constitutori doctrina, relligione & sanctis semper operibus admirabili.

Angelus eiusdem tit. Cardinalis Vnanimi Fratri, ac sibi commune monumentum hoc fecit, vixit idem D. Annos LVII.

Retulit mihi cum hæc scriberem Dominus Andreas Capranicensis multarum litterarum & lenissimæ consuetudinis vir: Cardinalem Dominicum Gentilem suum, vt ex antiquis familiæ suæ monumentis excepit fundasse Collegium hoc, de quo agimus de mente Martini V. qui ob schismata illorum tempor͠u, & heresin Ioãnis Hus, & Georgij Vvicleff in Conc. Constãtiensi in quo ipse Põtifex renunciatus est damnatorum, amplissimum statuerat extruere Collegium, sed morte præuentus, quod destinauerat non impleuit: imposuit tamen verbo tenus Cardinali Domini-

co, vt ipse quatenus posset, voluntatem suam exequeretur, legata ei insigni Bibliotheca, de qua meminit Franciscus Petrarca æui sui Lyricorum Princeps, quã ad hunc effectum, vt videlicet Collegio fundando donaret, à maioribus suis acceptam, multo tempore ampliauerat: hanc Card. Dominicus Collegio à se extructo bona fide restituit.

Dominico Capranicẽsi in hoc opere emulus est visus Stephanus Cardinalis Nardinus, patria Foroliuiensis, Archiepiscopus Mediolanensis, qui ad Dominici imitationem pariter in proprijs ædibus fundauit simile Collegium eiusque, ac scolarium regimen eidem sodalitati Saluatoris ad Sancta Sanctorum addixit, quam maximis cohonestauit legatis; habent singula hæc Collegia Rectores, & alios necessarios ministros, nullos tamen præceptores, aut prælectores, sed singulis diebus statis horis adeunt lectionibus audiendis publica Vrbis Gymnasia; sepultus est magnus hic præsul apud sanctum Petrum, vbi extat memoria.

D. O. S.

Stephano Nardino, Patria Foroliu. tit. S. Mariæ Transtyberim præsb. Card. Mediol. Legato

gato Auinion. obijt Anno Salutis 1484. 11. *Kal. Octobris.*

Huc ſpectat Collegium Orphanorum ab Antonio Maria Card. Saluiato, vt ſupra attigimus conſtructum, & fundatum, cui Pontificis indulto conceſſa fuit parochialis Eccleſia ſanctæ Mariæ in Aqniro, cuius titulum cum præfatus Card. obtineret Eccleſiæ parochiali Rector præerat vir pius, qui in pueritia parentibus deſtitutus, & duriſſimam humanæ vitæ ſortem fuerat expertus Cardinalem obnixè rogauit, vt antiquam labantem Eccleſiam reſtitueret, ac pauperrimis Orphanis auxilio eſſet. Card. Eccleſiam funditus dituit, ac aliam ampliorem à fundamentis erexit adiecto hoſpitio, & Collegio cui illicò pro dote aſſignauit decem aureorum millia, & poſtea teſtamento legauit prædium valoris tunc aureorum viginti millium. Licet collegium, & hoſpitium vno contineantur ambitu, non tamen inter ſe communicant, ſed ſingula ſuos habent Rectores, & miniſtros. Collegium non habet alumnorum determinatum numerum, ſed aſſignantur ex hoſpitio; qui melioris cernuntur indolis, & ingenij, ex quibus vt plurimum deliguntur, qui prælatis, magnatibus,

immò ipsis S.R.E.Cardinalibus sint, vel à sacris, vel ab epistolis, vel à studijs, in quo munere quantum recta institutio valeat summa cum laude ostendunt.

Hieronymus Mattheius ex Opulentissima Romæ familia, & Cameræ Apostolicæ clerico, & deinde eiusdem Cameræ Auditore à Sixto V. in Cardinalium numerum coaptatus collegium fundauit diuo cognomini sacrum, nullos illi assignauit certos annuos reditus, sed hæredibus eorumque successoribus perpetuum imposuit, vt omnia ad alumnorum substentationem necessaria collegio erogare teneantur, quod ab ijs probe adimpletur Lectores habet Collegium Philosophiæ, & Sac. Theologiæ. Sepultus est Cardinalis Hieronymus in Ecclesia Araceli in gentis suæ Sacello vbi eius memoria.

D. O. M.

Hic iacet Hieronymus tit. S. Pancratij S. R. E. præsbyter Cardinalis Mattheius, vixit annos LVI. menses 9. dies 9. obijt 8. Decembris 1603.

Ciriacus & Asdrubal fratri benemerenti posuerunt.

Euan-

Euangelista Pallotta ex agro Piceno a Sixto V. Card. Cusentinus nuncupatus, Collegium duodecim adolescentium, qui sacræ Theologiæ operam darent in proprijs ædibus fundauit, moriens hæredem instituit Reuerendiss. Ioannem Baptistam Pallottam ex fratre nepotem Lusitaniç legatione Vrbani VIII. Pont. Max. beneficio clarum, virum sane integerrimum, apud quem Collegij cura esse voluit. Obijt Cardinalis Euangelista Romæ, sed eius cadauer translatum Calderolam, natale solum, quod ex obscuro vico, ædificijs, ac suis natalibus illustrauit.

Petrus Corsus prothonotarius Apostolicus & vtriusque Signaturæ Referendarius, hæredem ex asse instituit confraternitatem sancti Spiritus, nationis Siciliæ citra Pharum, cui imposuit, vt Collegium fundaret suis popularibus, sic refert lapis illius sepulchro appositus.

Petro Corso I.V.D. viro opt. è nobilibus Comit. de Istria Oriund, qui post quam pluribus annis apud Carolum V. Rom. Imp. alijsq; Rom. Christianæq. Reipub. Principes pro Sereniss. Rege Polon. Oratoris munus cum summa sui laude exercuit pluribusq. Magistrat. in-

teger-

tegerrimè functus sanctissimę inquisit. off. religiosissimè aliquando inseruiuit, ac tandem beneficiorum Dei memor Societat. Spiritus sancti nat. Reg. Neap. pro qua erigenda summa semper, ope nixus est hęredem instituit, vt Romæ Collegium scolarium de Istria nuncupatum post mortem nepotum, quos dum viuunt vsufructuarios reliquit, & rerum omnium mobilium absolutos Dominos esse voluit erigat, eosque sub certo numero eligen. nutricandos perpetuò suscipiat, ita tamen quod proximiores sui, & post illos alÿ de Patria, & omnibus deficientibus viciniores cæteris præferantur, iuriq. canonico, & ciuili studeant. Corpus suum in hoc loco post eius obitum condi iussit. Io. Victoria Donade. Nic. Ma: Pasauantius, & Camillus Lamarra ex sororibus nep. posuere, vixit ann. 73. mens. 5. dies 7. Obÿt 6. Kal. Aug. 1583.

Simile omninò in proprijs ædibus collegiũ fundauit Dominicus Cardinalis Gymnasius, qui superstes illi præest, & leges, & alumnorum numerum præscribit.

Præter præfata Collegia plurima sunt in Vrbe, tum monacorum, tum mendicantium cœnobia, in quibus dietim illius institu-

ti pro-

ti professis preleguntur à summis, & doctissimis viris Philosophiæ, & Theologiæ accuratissimæ lectiones. Cassinensibus apud S. Callistum, Vallombrosanis apud S. Praxedem, Prædicatoribus in sanctæ Mariæ supra Mineruam Minoribus de obseruantia in Aracœli, & alijs in singulis cœnobijs, quorum longum esset exactum recensere catalogum: & licèt prælectiones, & studia huiusmodi non sint in locis perpetua, sed ex caussa Superiorum arbitrio dimoueri possint; hoc tamen non facile accidit, sed vbi semel facultatum studia fuere introducta, quasi loco debita conseruantur. Sixtus V. Pont. Max. apud cœnobium 12. Apostolorum Minoribus conuentualibus Collegium fundauit sub vocabulo sancti Bonauenturæ, quod mutationi non est obnoxium, addixit enim eidem non exiguum annuum censum, quo substentari valeat non spernendus numerus eiusce instituti professorum, inter quos viri docti non pauci.

De Publicis Verbi Dei Concionibus.
CAPVT IV.

Quamuis in Christi Domini Natiuitatis Aduentu, & Quadragesimali ante à mortuis resur-

resurrectionem eiusdem in Ecclesia Dei inueterato ieiunio; vsus concionandi sit crebrior, vtpote quia in plurium cœnobiorum, & collegiorum nec non patriarchalibus Ecclesijs, quotidie verbum Dei prædicetur, ac Euangelium annuncietur, quibus temporibus magnus magnorum Oratorum, & doctissimorum virorum in concionibus fit concursus, non tamen quod reliquum anni est silent suggesta: singulis festiuis diebus apud Augustinianos, Dominicanos, Seruitas, Carmelitas, Iesuitas, & alios mendicantes post missarum solemnia mane, publicæ habentur conciones: post vespertinas preces sermones, idq; fit in multis sæcularium Sacerdotum collegijs, è quibus ingens spiritualis fructus incrementum. Congregatio est piorum virorum Romæ ab oratione Oratorij nuncupata. Beatũ Philippum Nerium iam pridem à Gregorio XV. in Sanctorum numerum relatum habuit auctorem, assignata eis à Gregorio XIII. Angusta Ecclesia sanctæ Mariȩ in Vallicella nuncupata, qua demolita ampliorem, & augustiorem, vt mox videbimus maiori ex parte ædificarunt Cæsij. Congregationis institutum est singulis diebus statis horis vacare orationi cum vocali, tum mentali, summo cum sæcularium concursu:

ora-

oratione perfecta proponitur à quolibet breuis quidam discursus tendens in proximi salutem, ex eo ansam capiens vnus ex congregatis sermocinatur, per horæ medium, lapsa aqua subit alter, & illi rursum alter vsque ad quartum, ita vt quotidie diuersis temporibus non minus quam septem habeantur diuini sermones, quibus ad perfectionem christianã nihil accommodatius, & hi quidem habentur in ipsa Ecclesia, præter eos, qui bis in hebdomade, diebus videlicet Lunæ, & Veneris in Oratorio habentur sermones à primis diuersi cum themate tum instituto. Recitantur primũ preces Liturgicæ; deinde musicorum chorus suauissima vocum modulatione, ac instrumentorum musicalium concentu admirabili, concinit laudes Deo, sequitur concio, qua inuitantur congregati ad corporis castigationem, & sub spiritu reductionem auferuntur lumina, & congregati nudata corpora, siue loris, siue flagris non perfunctoriè excipiunt, recitatur alta voce psalmus, cui initium Miserere mei Deus, quo absoluto, datur signum receptui. recincti singuli ad sua redeunt loca, redditur aulæ lumen, & congregati post iteratam modulationẽ dimittuntur. Vsus hic orandi, plectendi, concionandi, conferendi, & modulan-

dulandi est multis alijs cenobijs,& secularium sodalitatibus communis:seruatur apud sanctũ Ioannem Baptistam in Campo martis prope S. Siluestrum diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris. Die martis apud congregatos Somascę in sancti Blasij montis Citorij: die Iouis apud Clericos regulares sancti Pauli ad forum Antonini: Sabati apud sanctam Mariam de Plan-ctu, & eodem die cum Dominica apud Iesuitas in Oratorio congregationis Nobilium,quo conueniunt ne dum primariæ nobilitatis seculares, sed Summi Romanæ Curiæ Prælati, nec non ipsi amplissimi sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & ne ciuibus qui labore manuum suarum victum quærunt ista desit spiritualium perfectionum communicatio, recipiuntur in eodem exercitio singulis dominicis, & festiuis diebus ab ijsdem patribus in collegio, quod diximus Romano:quo die non habentur facultatum lectiones. Extat in eodẽ collegio alia nobilium scholarium, idem collegium frequentantium Congregatio Virgini Annunciatæ sacra, cuius sodales reliquis sunt exemplo: & quia præter nobiles,ciues mercatores, cerdones,magna festis diebus ex agris Romam concurrit rusticorum multitudo: illos sollicita Patrum Iesuitarum cura verbi diuini

per

per publicas Vrbis plateas concionibus pręuentos naturali feritate exutos, esse cogit, & pios. Ad pœnitentiam tanto feruore spiritus agrestes incitat, vt ingens turba concionantem sequatur, illicò Sacerdoti peccata confiteatur, & ad sacram synaxin digne, vt conuenit præter gentis genium summa cum animarum salute accedat, quæ ijsdem magna charitate exhibetur, addito sępe discedentibus aliquo christianæ pietatis indice munusculo.

Postremum capitis veluti corollarium, sodalitatis Rosarij Virginis magno animarum bono in Ecclesia sanctæ Marię supra Mineruã erectæ, cingat institutum. Conueniunt sodales singulis primis Dominicis, vniuscuiusque mensis, ac Rosarij oratione præmissa solemnę agunt in Templi circuitu accensis cereis Orthodoxorum more supplicationem. ea peracta Relligiosorum vnus præfati cœnobij, eruditum simul & deuotum ad sodales, reliquũq; astantem populum in laudem Virginis habet sermonem: quo lapso repetuntur preces: inde abitur. Iterantur hæc sacra (vna supplicatione missa) ter in hebdomade, summa sodalium, ac totius populi deuotione. Nam licet vel domi orare possimus, fieri tamen nequit, vt æque

bene

bene oretur, ac in Ecclesia, vbi tot Patres, vbi clamor felici societate excitus, ad Deum refertur immortalem. Non pariter (inquit Chrysostomus) exoras cum solum Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus; est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in Cęlum euehantur. Relligioso instituto plura à summis Pontificibus fuere concessa priuilegia, & indulta. Pietatem hanc recitandi preces, vt dicitur ad coronam à nobis, vt plura alia impietatibus suis addicentes, mutuati sunt Turcæ, quos compertum est preces ad præfixum numerum signis ad instar nostri digito dimissis repetere. Tanta orationis vis est, vt improbissimi quique eam agnoscant, & probent.

De Contentionum Relligiosis fœcialibus, litium iudicialium diremptoribus, bonarum causarum æquis defensoribus.

CAPVT V.

Licet omni lege permissum sit vnicuique se, iusque suum legittime tueri, quia tamen

tamen affectio, qua propria prosequimur, & nobismet ipsis mirum in modum assentimur, nostramque opinionem aliorum quorumcunque, vt plurimum preferimus sententiæ, accidit sæpissimè, vt in hoc genere erroris largiter erremus. huic errori per quoscunque relligiosos viros sedulo solet occurri, præstatur id accuratius per professores Oratorij, qui vbi resciuerint inter aliquos non bene conuenire, discordiæ caussam, & originem inuestigare satagunt: qua percepta dissentientes ad concordiam multis argumentis, & exhortantur, & quodammodo cogunt, maximus huiusce ad vnionem persuasionis est in Republica vsus, cui nihil optabilius quàm ciuium concordia, ciuitatis tutissimum firmamentum. Si verò cõtrouersia in Iudicio fuerit introducta, & collitigantium pars altera pauperior sit ac litium sumptibus impar, subuentionem accipit à congregatione nuper erecta penes clericos regulares apud sanctum Paulum in foro Antonini. cõstituitur congregatio hæc ex aduocatis, & procuratoribus, qui singulis diebus Iouis conueniunt: litium, & controuersiarum supplices oblatos libellos accuratissimè examinant, si bonam caussam continent, offerentibus id renunciant, ac se in prosequutione

iudicialis caussæ assore spondent, sponsionem probe cauent, caussamq; acerrimè defendunt. Si vero exponentes non niti bonæ causæ iudicauerint, vt à cepta lite desistant seriò persuadent. Præstatur etiam iusta caussarum defensio ab alio, longe antiquiori Curię procuratorum in sancti Eustachij fundato Collegio è quo pauperibus assignantur procuratores; qui eorum caussis adsint immò ipsum sacræ Rotæ Tribunal si quis pauperem se ostenderit ne ob inopiam, caussam, & ex ea ius oriens deserere cogatur eidem procuratorem, & aduocatos destinat, ac scripturas ab actuario nullo præmio exhibendas decernit.

De Aegrotorum, ac languentium visitatione, ac piè morientium spirituali refectione.

CAPVT VI.

Sæpe recensita Congregatio Oratorij cum in omnibus christianæ pietatis operibus continuò se exerceat, infirmis adesse, eosq; vel demisso famulatu iuuare, vel ad pie moriendum exhortari omnium primum statuit: ne dum publica adiẽs infirmorũ, Xenodochia, sed priuatas frequentans ædis, ægrotos seruitij ope, qua multum indigent, & simul doctis, & pijs ser-

ſermonibus refocillãs. Verũ quia congregatio hæc, pluribus intenta, huic ſoli operi non vacat, quod tamen apud Chriſtianos omnium maximum iure cenſeri debet, cum tota animarum ſalus chriſtianæ genti tantoperè curæ à bono fine dependeat: Camillus Lellus ſacerdos Theatinæ diœceſis congregationem inſtituit, cui proprium munus eſſet infirmorum curæ aſſiſtere, eosq; non deſerere donec, vel conualuerint, vel certè pie in Domino obdormiuerint. Inſtitutum ſodales pro viribus magna cura, & charitate adimplent; nam ad ægrotum accerſiti non inde recedunt, niſi quando cibum capere eis pro virium refectione contingit, quo tempore alij ſubintrant, donec primi domo reuerſi ſuccedaneos miſſos faciant. Eſt horum ſodalium multiplex, & opportunus infirmis vſus: licet enim primus eorum ſcopus ſit morituros ad honeſtam, ac chriſtianam mortem diſponere, perpetua tamen apud infirmos aſſiſtentia ſummoperè etiam ad ſalutem corporis confert: nam quotidiana experientia edocti, vel ipſis Medicis melius norunt, quando & qua moderatione infirmis præbendus cibus, ſeu potus: artis medicæ non poſtremum neceſſarium præſcitum. deinde ijſdem in memoriam reuocant, vt

si Deo ita postulante mori contingat, de bonis temporalibus iuxta, ac ius, & æquum postulat vltima volũtate disponant, hac tamẽ cautela, ne quicquã sibi relinqui petant, hoc enim apud eos relligio est. Demum morituros sacratissimis Ecclesiæ Sacramentis communiri, sollicitis studijs procurant. Cœnobium habẽt apud sanctæ Mariæ Magdalenæ prope Pantheon: seu Basilicam Agrippæ. Institutum, christianæ pietati valde necessarium prope diem per vniuersam fere Italiam propagatum.

Insigniuntur huius ordinis professi in dextro pectore, cruce prægrandi coloris fului lignum exprimentis. caussam dedisse ferunt visum quoddam matris institutoris: quæ prægnans parere sibi visa est puellum hac cruce notatum, & enixa, peperit Camillum.

De Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ Sacramentorum indefessa administratione.
CAPVT VII.

Non soli moribundi ad pœnitentiam exhortandi sunt, sed & valentes, quibus nihil incertius quam corporis salus, quæ ne dum in dies, sed in horas, instabili adeò variatione mutatur, vt quem paulò ante fortitudine cor-

poris

poris fretum, sæcula victurum credebamus iã nunc videmus efferri· illũ bellantẽ arma decipiunt. hũc collapsus paries obruit: ille vehiculo lapsus properantem animã excutit, aliũ medicus orco tradit,& pharmacis seruandum occidit: si recte calculum ponas, non alius, quàm à vita ad mortem facilior transitus. Christianis itaque hoc agendum sedulo, vt quod fide credunt, id opere præstent, nempe vt in cordis contritione Omnipotentis Dei gratiam promereantur, qua nihil apud eum gratius, nihil acceptius. Sacramenti itaque pœnitentiæ in Vrbe, frequentia, est sanè admirabilis; nam præter parochiales Ecclesias, quę presbyterij iure erga paręcos in id muneris astringuntur, illud assiduè obeunt, omnes regulares. Augustiniani Prædicatores, Minoritæ, Seruitæ, & reliqui mendicantes, quorum Ecclesias pœnitentiariorum subsellijs cernimus repletas. operam tamen hac in re particulari sacerdotij instituto nauant maiorem Societas Iesu, & Congregatio Oratorij, apud quas singulis festiuis diebus innumeram videre est multitudinem, peccata sacerdoti confitentem, ac sacram summa cum deuotione sumentem Synaxin. Congregationes, quas diximus apud Iesuitas, Orantes, ac reliquos

clericos regulares itroductas, nec non cæteræ quotquot sunt; de quibus in tertia parte habebimus sermonem, laicorum confraternitates, hoc maximè intendunt, vt earum sodales bis, vel saltem semel in mense apud sacerdotem peccata deponãt, ac ad mẽsam sanctissimi corporis Christi accedant. Iesuitarum recens inuentum est, promiscua quædam omnium ordinum ad sumendam sacram Synaxin conuentio: hanc Communionem appellant Generalem, ad quam tantus mortaliũ concursus, vt quandoque vno die triginta hominum millia spirituali conuiuio refecta reperiantur. Institutum omnium maximè sacrum, iam nunc valde ampliatum, semel exhibetur in mense in diuersis Vrbis, vt omnibus vsui esse possit Ecclesijs. Quibus ne insigne pietatis opus dispendio sit; illi aggregata est laicorũ sodalitas, quæ cereorum, ac reliquorum sumptuum expensas benigne suppeditat. concurrunt ex singulis ordinibus sacerdotes, qui peccata confitentibus dimittunt. Qui egregiã præ reliquis nauat operã Petrus est Garauita Societatis Iesu professus Sacerdos. Et ne solos ciues, aut Vrbis Romæ incolas tam vario ad pietatem ilice vocari existimes, peregrinis, & longe dissitis nationibus pontificio instituto tria apud

tres

tres patriarchales Vrbis Ecclesias pęnitentiariorum extructa Collegia, in quibus degunt sacerdotes omnium linguarum periti, pœnitentiumq; peccata summa eis per Pontificem auctoritate attributa absoluunt. Apud sanctũ Ioannem in Laterano pœnitentiarij sunt ex ordine Fratrum Minorum sancti Francisci de obseruantia. Apud sanctum Petrum in Vaticano, Iesuitæ. Apud sanctam Mariam ad Pręsepe, quam vulgari vocabulo Maiorem indigetant Prædicatores. & vt quisque pœnitentiarium sibi popularem facili negotio inueniat, singulis subsellijs maioribus caracteribus linguæ, cui præest inscriptum, videlicet pœnitẽtiarius pro Gallica lingua, Pœnitentiarius pro Anglica lingua, & sic de cæteris.

De Publicis, & communibus mortuorum suffragijs. CAPVT VIII.

Nulla vnquam tam effera gens, aut relligionis expers, quæ non crediderit, animas sontium, igne purgatas, fœlicitati restitui. Nouerunt hoc Scythæ, vt testatur Lucianus in Toxari. Persæ, vt apud Xenophontem in Cyro. Græci vt notat Plato cum affirmat virtutes animę sęparatas esse rationes animi purga-

ti; nec posse induci in medio nisi in campo Elysio purgentur. Hunc imitans Virgilius Aeneidos 6. eumdem sensum ostendit fuisse Latinis, ita enim de mortuis non recte expiatis disserit.

Non tamē omne malū miseris,nec funditus oēs
Corporeæ excedunt pestes penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis mollescere; miris,
Ergo exercentur pœnis veterumq; malorum
Supplicia expendunt,aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: alijs sub gurgite vasto
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Et dilucidius Claudianus post multa.

Quos vbi per varios amnes,per mille figuras
Egit letheo purgatos flumine; tandem.
Rursus ad humanæ reuocat primordia formæ.

Idem sentit Algazel Philosophus Arabs Philosophiæ suæ lib. 2. tract. 5. cap. 5. Rhamnusius Indicarum nauigationum scriptor diligentissimus refert Indos omni alia re Barbaros probe credere esse locum quemdam, in quo mortuorum animæ ab immunditia in sæculo contracta igni purgentur.

Hæc non deduxi, vt ex ijs catholica veritas Purgatorium asserens aliquod fulcimentum accipiat, nam illa ex sacræ Scripturæ locis, &

con-

constanti Ecclesiæ assertione firmatur præsertim 2. Machabeorum 12. *sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Sed solum vt noscant Lutherani, cæteriq; Ecclesiæ hostes, quam impudenter contra Ecclesiam inuehantur; negantes eam veritatem, quæ gentibus solo lumine naturæ fuit cognita: certè idem Lutherus in resolutionibus suis de virtute indulgentiarum quas vt testatur Cochleus in tractatu de actis & scriptis Lutheri, conscripsit de anno 1518. dum in mentionem purgatorij incidit, Pighardos illud negantes velut hæreticos acerbissimè insectatur. Apponamus impudētissimi hominis tunc adhuc sana verba: Mihi (inquit) certissimum est Purgatorium esse, nec multum me mouet, quid blatterent hæretici, quando iam mille plus centum anni sunt, quod beatus Augustinus in suarum confessionum lib. 9. pro matre, & patre suo orat, & orandum petit: & eadem sancta mater eius moriens memoriam sui optauerit ad altare Domini. Sed & B. Ambrosio id factum narrat. quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, vt superbit fastidiosus Pighardus: nunquid ideò credendum est hæretico vix quinquaginta annos nato, & fidem tot sæculorum fal-

sam

ſam fuiſſe contendendum. Hæc Lutherus, quorum illinc biennio prorſus immemor in libro de captiuitate Babilonica, quem vt teſtatur idem Cochleus conſcripſit anno Domini 1520. proteruè, & perfrictè negat ad fidem pertinere, an Purgatorium eſſe vel non eſſe credamus. videant ſectarij, quem ſequantur auctorem. Referenda hoc loco prędicantiũ quorumdam Puritanorum in Gallia faceta collatio: conuenerant homines iſti in quandam Principis mulieris ſuæ ſectæ domum, in qua aſſembleam, ſiue conciliabulum celebrarẽt. Vnà dierum quibus hic hęrerẽt, poſt epulas, quidam eorum vino hilarior, aboleuimus inquit Purgatorium. Aſtabat menſæ famulus in religione Catholicus, & cur non Domini (inquit) aboletis etiam Infernum; quandoquidem vtriuſque apud vos ęqua poteſtas, & rem facietis mundo gratiſſimam. mordaci ſcommate, permota Princeps fœmina impios deſeruit, menti ac relligioni reſtituta bonæ.

At tranſiliuimus inſtituti metam, quo nobis præſcripſimus pietatem Romanam mundo apertam reddere, nõ autẽ Orthodoxæ fidei dogmata ſcolaſticè cõprobare: vnde ſufficiebat illud de Purgatorio tãquã in Eccleſia Catholica receptiſſimum ex ſacro Miſſæ canone

præ-

præmittere. *Memẽto Domine famulorũ tuorũ, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiũt in somno pacis; ipsis Domine locũ refrigerij lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur, &c.*

Hanc in Christo dormientium memoriam Vrbs Roma, multis ostendit argumentis. Omnes enim præfatæ Congregationes, aut sodalitates, decedentibus fratribus, statis diebus recitant pro mortuis ab Ecclesia Dei præscriptas preces, Officium mortuorum, vulgo nuncupatas. Et ne illi, qui nulla sodalitate aggregati, hoc precum suffragio destituantur: erecta in Vrbe, de anno 1582. in parochiali Ecclesia S. Blasij, via Iulia laicorum sodalitas, quæ suffragij dicitur, quia vnicus illius scopus mortuorum suffragijs incumbere. Aluntur in prædicta Ecclesia septem sacerdotes, qui quotidie pro animabus fidelium in charitate Deo coniunctorum, & in Purgatorio pro contractæ labis expiatione retentorum offerunt sacrum missæ officium: ipsi sodales laici singulis festis diebus recitant præfatũ psalterium Ecclesiæ pro mortuis. per integram commemorationis Defunctorum octauam; quotidie solemnes agunt supplicationes, ab eorum Oratorio ad Basilicam sancti Gregorij, & alias præcipuas Vrbis Ecclesias. Sæpius in anno reiterant

terãt quadraginta horarum preces, nec quicquam omittunt, quod expiandis animabus iuxta præſcriptum Eccleſiæ ſuffragetur.

Die verò commemorationi Defunctorum dicata 2. videlicet Kalendas Nouembris, ac pluribus illi ſequentibus maximus omnium ordinum ad prædictam Baſilicam ſancti Gregorij fit concurſus, vbi offeruntur preces, & oblationes prò mortuis tanta animorum alacritate, vt ſatis liqueat defunctorum piam memoriam apud Romanos nunquam obliterari. Pulcherrimum in hoc opere tres illæ patriarchales, quas ſupra recenſui Eccleſiæ, videlicet, ſancti Ioannis in Laterano, ſancti Petri in Vaticano, & ſanctæ Mariæ ad Præſepe habent inſtitutum: quo poſt diem commemorationis defunctorum ad ſingulas Vrbis Paræcias tranſmittunt non paruum Sacerdotum numerum cum cereis, & reliquis diuino cultui neceſſarijs, vt miſſam ſolemnem pro defunctis inibi quieſcentibus (quia videlicet ſolus parochus, hoc in mortuos pietatis officium adimplere non valet) relligiosè decantent.

DE

DE PIETATE ROMANA THEODORI AMYDENI

PARS TERTIA.

Generalem Vrbis Romę in Deum continens pietatem.

De Sum. Pont. & Cardd. in Deum Pietate.

CAPVT I.



ARTEM hanc à ſummo Pontifice, & ampliſſimis S. R. E. Cardinalibus initium ſumere, ideò conueniens, quod illis pręcipuè cordi eſt ſana in Deum pietas. Si præteritorum reuoluamus acta ſęculorum, nullam in Orbe chriſtianam inuenimus, quam à Romanis Pontificibus inductam relligioſam pietatem: quicquid cæcutientibus proteruè protrudant Nouatores, qui verę pietatis certiſſimum fontem Apocalipticam belluam Antichriſtum, & ſi quid execrabilius voci-

vocitant, nullum facinus tam atrox, quod huius capiti non impingant: ille plausibilior, qui mentitur inuerecundius, & ementitur: nec refert à quo fabula originem trahat. dictum sufficit, siue ille è puluere, siue à gladio, siue ab aratro ad calamum conuolarit: modo admodum mentiatur, & impudenter conuitia, & contumelias ingerat etiam si improbabilia effutiat, eruditus est, disertus est: fortis & strenuus si spicula liberius tangat, si iacula emittat, si diris Petri successorem deuoueat. iure, vel immerito nil refert, iam satis hoc est in supremum Ecclesiæ caput fulmina struere. Morneus ille Plesseus, iam dudum mentis, deinde etiam corporis oculis orbatus, nonne in epistola ad Iacobum magnum Britanniæ Regẽ, laudi sibi duxit, quod laicus, quod militiã professus Papatum scriptis aggredi non sit veritus? Isaacus Casaubonus purusputus Grammaticus, nonne gloriatur grammaticali calamo Pontificem Romanum fœliciter trãsfixisse. Ipse Lutherus omnium in Catholicam Ecclesiam impudentum antesignanus nonne testatur sacræ Scripturæ intellectum non a Theologia, seu facultatum alia, sed à sola Grammatica opitulari, quo errore seductus in impietatis barathrum deuolutus, tanta petulantia

lantia impuriſſimus homo in Romanum Pontificem Chriſti in Terris Vicarium debacchatus eſt, vt ipſos hæreticos aliquando ſpurciſſimi ſcurrę pudeat. ſed miſſos faciamus infelices, ſuo genio, & malitia ſatis miſeros, ne relatione impietatum reddam miſeriores. Ad Pontificem igitur, & Cardinales, vt redeamus duplex in ijs conſideranda eſt pietas, interna, & externa; interna non niſi ex actibus exterioribus innoteſcit, vnde ſola externa in hominum eſt notitia, quæ ſimiliter duplex eſt, publica, & priuata; ad priuatam pertinent eleemoſinæ, quas in pauperes erogant & omnia pietatis indicia, quæ domeſticos parietes non egrediuntur, vt ſingulis diebus ſacrum miſſæ officium celebrare, ſeu celebranti adeſſe. Publicæ pietatis argumenta in Pontifice ſunt multa. Primum, præcipuis anni feſtiuitatibus, vna cum Cardinalibus publicè adeſt matutinis, & veſpertinis precibus, & in maioribus ipſus miſſam decantat: inter miſſarum ſolemnia concio habetur latino ſermone, Euangelium, quod illi diei Eccleſia præſcripſit explanans. In Aduentu ſingulis diebus Mercurij, in quadrageſima diebus Veneris, coram ipſo & Cardinalibus, id muneris obit relligioſus quiſpiam doctus, & eloquens,

qui

qui tanta efficacia, & christiana libertate supremorum Præsulum vitia, si quæ sint reprehendit, vt satis liqueat in Ecclesia Catholica tantummodo exactam libertatem reperiri. In die Cœnæ Domini proprijs manibus iuxta Saluatoris exemplum duodecim pauperum publicè lauat pedes, lautos sindone abstergit, quos non nisi pransos, quorum mensę astat minister, & veste, ac congiario donatos dimittit. Die Annunciationi Virginis sacra; apud S. Mariam supra Mineruā ingenti puellarum numero à Societate dotatarū sanctissimis manibus loculos porrigit, ac dotē proprio peculio auget. Idem præstat die festo Assumptionis eiusdem Virginis in Basilica Liberij: vulgo S. Mariæ Maioris: qua die ibidē alia sodalitas Consolationis nuncupata simili charitate, puellis dotes elargitur. Festo Corporis Christi die, sacram synaxin per amplum Vrbis Leoninæ tractum relligiosissimè circumfert. Mercurij cinerum, stationum apud S. Sabinam solemnia suo exemplo inducit: in his omnibus purpurati Patres lateri suo indiuulsi adhęrent. in festo Resurrectionis, & Natiuitatis Domini; tam summus Pontifex, quam Cardinales toti familiæ sacratissimum Christi Domini Corpus ritè expiatis proprijs manibus, præbent.

bent. Pontifex cum negotiorum, quibus distrahitur moles permittit, diuersas Vrbis inuisit Ecclesias: quod Cardinales agunt frequentius, præsertim illi; quibus minor premit negotiorum sarcina, immò intersunt sæpius tum Carmelitarum, tum Orantium, tum Iesuitarum Congregationibus, vt nullum apud multos, vel paruum consideres temporis spatium, quod Deo, vel proximo non distribuāt. Non omittendum Clemētis VIII. Pont.Max. supremę pietatis, quod ad successores transiuit institutum. Vt nullo vnquam, vel minimo tempore Vrbi deesset orantium excubia, statuit, vt per singulas Vrbis Ecclesias haberentur preces per continuas quadraginta horas ordine successiuo distributas. Principium in ipso Pontificis Sacello, deinde apud sanctum Petrum, post apud S. Ioannem, & sic deinceps per omnia Vrbis sacra Collegia: ordo & modus precum hic est; exponitur publicè multis cereis, & luminaribus circumsitum sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, illicò vnus è collegio per integrā horā, ante aram in qua sacra synaxis exposita, orationi vacat, hora elapsa subrogatur alter, & illi rursus alter, donec effluxerint quadraginta horæ: quibus effluxis oratio transfertur ad aliud Collegiū, &

deinde aliud, donec per circuitum redeat ad primum, hoc eſt Pontificis Sacellum. Celebratur ſolemnitas iſta quadraginta horarum, decentiſſimo, vt poteſt ſacro apparatu, in quo reliquos omnes excellunt Pontifex in Capella Paulina, ſodales Societatis Ieſu, in eorum Eccleſia, & apud S. Laurentium in Damaſo Cardinalis pro tempore Cancellarius. Spectaculum eſt in his locis vbique auguſtiſſimum, vt vix excogitari poſſit quicquam ſumptuoſius. Solet etiam Romanus Pontifex ad diuertenda inter Chriſtianos Principes bella, vel alia graui ex cauſa ſolemnes ſupplicationes, quibus ipſe pedibus incedens per non exiguum itineris ſpatium à ſacro eius Palatio ad ſanctam Mariam ad Præſepe, ſeu aliam Vrbis Eccleſiam Liturgicas preces vniuerſo Clero decantante indicere, quæ qui præſens intuetur, ſummè impius eſt, niſi Romanum Pontificem, ac S. R. E. Cardd. maximè pios eſſe fateatur.

De liminum Apoſtolorum, aliarumque Eccleſiarum perenni, & ſedula viſitatione.
CAPVT II.

Nullã vnquam, vidit Orbis gentẽ, quãtum-

uis

uis barbarã, quãtumuis prophanã, quæ Numẽ aliquod licet impiè, ſaltem relligiosè non coleret, illiq; faſtos diceret, & ſacra ſtatueret. Priſci Romani, vt reliquas omnes magnanimitate, ita ſuperſtitione, & falſa in falſos Deos pietate longè ſuperarunt. teſtantur hoc lupercalia, Floralia, Iouis epulum, lectiſternia, & infinita id genus alia, apud Scriptores, qui Romanos faſtos collegere ſacra. Veri Numinis benignitate accidit, vt quod impium in pietatem conuerſum ſit, & ſuperſtitio mutata in relligionem. Romana pietas ſumma colit feſtos in honorem Martyrum, aliorumque Sanctorum relligione dies, & in hoc pietatis genere omnem aliam gentem multis numeris excedit. Nullus ferè Diuorum Catalogo aſſcriptus, qui in Vrbe ædem, ſiue Sacellum non habeat ſuo nomini dicatum. Illud anniuerſario feſto die, viſendo apparatu exornatur, ab infinita multitudine, & præſertim à primarijs viris, & nobilibus matronis deuotè viſitatur, donis & muneribus liberaliter decoratur. Quadrageſimali ieiunij tempore ex antiqua traditione ſingulis diebus habentur à fidelibus in ſingulis templis ſacræ ſtationes, quas magno concurſu Populus ſacro ritu, & ſumma celebrat veneraɔione. Et licet Numinis

cultus quoquo tempore perennis sit: solennitas tamen in Ecclesiarum visitationibus anno Iubilei tanta est, tantaq; deuotissimi populi in hoc obeundo munere frequentia, vt excedat hominum fidem. Vidi nuper non semel vno die, hoc sacro Iubilei initio vltra quadraginta mortalium millia Ecclesias deuotè circumire summo spiritus feruore, decore summo. Nemo qui non rite compositus, nemo, qui non praeseferat, quae christianum decet modestiā. Nullae audiuntur prophanae confabulationes, nulli cernuntur procaces aspectus, sed vnusquisque Numen mente conceptum gerens, quam calcat intuitur terram, rosaria recitans, vel alias, siue mente, siue voce ex animo ad Deum dirigens preces. Quod magis hac in re mirabar erat, omnem multitudinem (quia peregrini in illo anni exordio non dum Romā aduenerant) ex Romano populo esse; ducem se reliquis, in pietatis semita praebente. si probis oculis isthaec Nouatores inspicerent, & non vt solent Orthodoxorum omnia licet optima in peiorem partem raperent; profectò apertam hanc pietatem, impietatem dicere non auderent.

De

De Patriarchalibus Vrbis Ecclesijs.
CAPVT III.

Tres præcipuas, & patriarchales Vrbis diximus esse Ecclesias: quarum prima S. Ioannis in Laterano, vt testatur antiqua inscriptio in porticu illius satis illepido carmine exarata.

Dogmate Papali datur, ac simul Imperiali
Quod sum cunctarum mater caput Ecclesiarũ.

Quia videlicet est Episcopalis Vrbis Romæ sedes, licet ob aëris intemperiem, ac securitatem Pontificum multis ab hinc annis translata sit habitatio apud sanctum Petrum in Vaticano, vbi Ciuitatis instar excreuit palatium. Ecclesia hæc fundatorem suum habet Constantinum Magnum quamuis sæpius à summis Pontificibus ob cariem fuerit restituta. Ecclesiæ cultus antiquitus penes canonicos fuit regulares, sed post plura dissidia firmati in ea præsbyteri seculares, quorum numerus non exiguus. summa rerum apud Canonicos, qui numero sunt 18. Beneficiati 22. clerici beneficiati 8. sacristæ duo, capellani perpetui 16. mansionarij 2. clerici amouibiles 7. capellani tum Ecclesiæ maioris, tum

Sacelli Fontis Baptiſmalis, ac Xenodochij pauperum, & ad Sancta Sanctorum, 11. accoliti 6. muſici, Organiſta; annuus canonicorum cenſus aurei 500. beneficiatorum dimidio minus, reliquis congruum ſtipendium menſtruum: aliquibus ex canonicis Chriſtianiſſimi Francorum Regis Eccleſiæ protectoris, munificentia aſſignata annua penſio aureorũ 300. vt reditus ad 800. aureos aſcendat. Archipresbyterum habet Eccleſia Cardinalem, cui quotannis ex officio redit ſufficiens cẽſus. Cardin. Archipresbyter Ioan: Baptiſta Cardinalis Lenius eſt. Secunda Patriarchalis Eccleſia ſancti Petri eſt in Vaticano, & ipſa ab origine extructa à Conſtantino Magno, quam vidi ſolo æquari, & aliam tempore Pauli V. eius loco longe auguſtiorem ædificari ingens ſanè moles, nec alia in orbe ſimilis, Cępta ſub Iulio Secundo, ſed demum ſub Paulo V. ſaltem quoad fornices, & operis formam perfecta. Archipresbyterum habet Scipionẽ Card. Burgheſium, cui ob id quotannis redit Eccleſiaſticus prouẽtus, canonicos 30. beneficiatos 24. clericos beneficiatos 24. Choriſtas hebdomadarios 8. ſacriſtas 2. muſicos 9. accolitos 8. parœcos 2. templi cuſtodes 2. organiſtam canonicorum cenſus annuus aureorum 900. bene-

beneficiatorum 450.clericorum 225. reliquis menſtruum aſſignatur ſtipendium. Tertia patriarchalis Eccleſia ſanctæ Mariæ ad Præſepe, quæ etiam ad Niues dicitur, quia Niuium miraculo Auguſti menſe Cœlo delapſarum à Ioanne Patritio monitu Liberij Papę, vt teſtatur Breuiarium Romanum ædificata. Archipresbyterum habet Io: Garziam Card. Millinum, cui ex presbyterio obuentu annui aurei non pauci canonicos 16.beneficiatos 18.ornata eſt hæc Eccleſia duobus Sacellis à Sixto V. &Paulo V.regio & fere incredibili ſumptu extructis: vterque Pontificum ſuo Sacello proprios addixit miniſtros, quorum numerus cũ reliquis Eccleſiæ 43 .accolitos 6.muſicos 10. ſacriſtas 3. organiſtam, Templi cuſtodes 2. capellanos amouibiles 7. canonicis annuatim redeunt aurei 500.beneficiatis 250.clericis cappellæ Sixti aurei 100.totidem clericis SacelliPauli reliqui mercede conducti menſtruum accipiunt ſtipendium.

Eccleſia eſt ſub protectione Regis Hiſpaniarum, qui cenſum ſacerdotum ſolita munificentia adauget. In præfatis hiſce Eccleſijs quotidie ſolemne celebratur ſacrum miſſæ officiũ, & decantantur horæ canonicæ, adhibitis feſtis diebus organis,& muſica in Omnipo-

tentis Dei laudem omnium bonorum largitoris.

De Sacerdotum sæcularium Collegiatis Ecclesijs. CAPVT IV.

Collegiatæ Ecclesiæ in Vrbe insignes numerantur 11. quarum prima sanctæ Mariæ Trãstiberim presbyteria Card. tit. Callisti, quē hodie obtinet Franciscus Card. Dietricstain, canonicos habet 12. beneficiatos 8. hebdomadarios 4. cappellanos amouibiles 4. non amouibiles ad Sacellum Cardinalis ab Altaemps 6. clericos 4. musicos 9. organistam & custodem Ecclesiæ. Et quia eadem Ecclesia est parochialis Parocum habet sub vocabulo Vicarij & ipse duos in animarum cura coadiutores. Ipsa Ecclesia est antiquitate venerabilis & magnitudine molis conspicua, vbi nunc Ecclesia taberna erat meritoria è qua ea nocte, qua Christus Saluator natus est diuinitus olei Fons, seu oleum aquæ loco scaturiens apparuit. Altera est sancti Laurentij titulo Damasi, cui Ecclesiæ tituli nomine præest, pro tempore Cardinalis Cancellarius hodie Ludouicus Card. Ludouisius, canonicos habet 10. beneficiatos 8. clericos beneficiatos 8. sacri-

stam

ſtam, organiſtam, Eccleſiæ cuſtodem & muſicos 9. clericos 9. extat in hac Eccleſia Sacellum venerando altaris Sacramento ſacrum, cui addictus particularis ſacriſta & capellani 8. nec non alterũ Conceptioni Virginis ſacrũ cui itidem particularis ſacriſta, & capellani ſex. Et quia eadem Eccleſia vltra Collegium continet parochiam late patentem, ac plurium parochialium matricem, animarum curæ addicti parochi duo, & capellani ſeptem, qui aliquando ſimul conuiuunt, ſuntq; magni nominis viri. Inter has duas Eccleſias vertebat differentia ſuper Collegiorum præcedentia in actibus publicis, & deciſum præcedentiam deberi alternatim modo vni modo alteri Collegio, quando ſimul in publicis ſupplicationibus conueniunt.

His ſuccedat Eccleſia ſancti Marci Cardinalis presbyteri titulo decorata, qui ſemper ſolet eſſe penes Cardinales natione Venetos, canonicos habet 8. cappellanos, duos clericos, tres, ſacriſtam, & parochum, quia nedum parochialis, ſed parochialium matrix. Eccleſiã ſancti Hieronymi Illiricorum, de qua ſupra mentionem fecimus Cardinalis presbyteriã à fundamentis Sixtus V. Pont. Max. qui eam Cardinalis in titulum obtinuerat exædificauit,

ficauit, & in collegiatam erexit, addictis ei, Archipresbytero, canonicis 6. beneficiatis 4. capellanis 2. totidem clericis, & sacrista, quibus omnibus honestus annuus prouentus. Antiqua valde Ecclesia sanctæ Mariæ in Via lata fundata fuit tempore B. Sergij Papæ, licet eo loci Diuus Petrus Apostolorum Princeps Sacellum fundasse perhibeatur, ipsumq; ibidem sæpius à beato Paulo Apostolo fuisse cõuentum, ac inter eos inibi de propaganda fide fuisse tractatum: extat hodie idem Sacellum, licet subterraneũ, quod accidere potuit eo, quia solum Vrbis in altius mole ruinarum excreuit, quãuis notarim ad tantã altitudinẽ habito respectu ad Tiberis alueũ solum extolli non potuisse, vnde necesse & tempore fundationis fuisse subterraneum, vt ex loci situ conuincitur de Sacello Diui Petri in carcere Tulliano, & in alio Sacello apud sanctam Priscam, quòd ideo factum fortassis, quia non dum reddita pace Ecclesiæ fidelibus necessũ erat, quo magis possent latere, vel quia supremum Numen permitteret, vt sibi litaretur humili loco, quia Israel, & Iuda sacrificassent Baal in summis montibus, in quibus impia superstitione ædificabant Idolis Fana, vt notatur in libris Regũ, vbi impietati asscriptum

Regi-

Regibus Israel, & Iuda, quod excelsa non destruxissent. Sed ad Ecclesiam, vt reuertamur ea est collegiata, & simul parochialis, ac prima Cardinaliũ Diaconia, quę hodie est penes Carolũ Emanuelẽ Car. Piũ. Caput collegij Prior cui annuus prouentus aurei mille canonicis, qui numero 14. aurei 500. cappellanis quatuor, & totidem clericis, ac sacristæ merces menstrua. Parochus, siue Vicarius perpetuus, cui cum capitulo nihil commune vltra congruam portionem, quæ Vicarijs perpetuis ex Constitutione Pij V. debetur, habet emolumenta propria parochialia. Altera Cardinalium Diaconia est; sancti Eustachij, in qua collegium cui præest Archipresbyter canonicos habet quinque, beneficiatos 4. Vicariũ, & Coadiutorem apud quos cura animarum sacristam, & duos clericos. Diaconiam hanc obtinet Serenissimus Mauritius Card. à Sabaudia. Tertia Cardd. Diaconia est sancti Nicolai in carcere Tulliano, quæ hodie penes Carolum Card. Medices: canonicos habet 6. capellanos mercede conductos tres; clericos duos, & sacristam. Quarta Cardinalium Diaconia sanctæ Mariæ in Cosmedin, alio vocabulo Scola Græca à Zacharia Pontifice Maximo, qui ibi professores illius linguæ instituit nun-

nũcupata, canonicos habet decem, inter quos prima dignitas Archipresbyter, capellanos duos, totidem clericos, & ſacriſtam. Diaconia hæc hodie eſt penes Alexandrum Cardinalem Vrſinum. In omnibus iſtis Eccleſijs Cardinales titulares, quia dietim horis diuinis intereſſe nequeunt, deputant prælatos melioris notæ, qui in hoc munere eorum vices agant, & appellantur Eccleſiarum Vicarij. Octaua Collegiatarum ſæcularium inſignium Eccleſia eſt ſancti Celſi prope molem Adriani, cui præeſt Archipresbyter apud quem etiam parochiæ, ac animarum cura, quam tamen exercet per Vicarium ipſius nutu amouibilẽ, canonicos habet ſeptem, clericos tres, & ſacriſtam. Nona collegiata Eccleſia eſt ſanctæ Mariæ ab Orbiculari eius forma Rotunda vulgo nuncupata in Baſilica Agrippæ, ſiue in Pantheon. Archipresbyterum habet penes, quem animarum cura, canonicos ſeptẽ, capellanos menſtruo ſtipendio conductos duos, totidem clericos, & ſacriſtam. Decima ſæcularium ſacerdotum collegiata Eccleſia ſancti Angeli in foro Piſcium canonicos habet 8. capellanos 4. clericos 2. & ſacriſtam ipſa Diaconia eſt penes Franciſcum Card. Boncompagnum. Vndecima, & poſtrema

ſæcu-

sęcularium collegiatarum, est in sanctæ Mariæ de Planctu iam recens erecta canonicos habet 8. beneficiatos 4. cappellanis non indiget, quia in eadem Ecclesia, vt supra memorauimus fundata est sodalitas laicorum, quæ Ecclesiæ addixit cappellanos 20. ac quatuor clericos, & sacristam. In omnibus ferè Ecclesijs prædictis quotidie diu noctuque canuntur laudes Deo, ac horæ canonicæ adhibito etiã in aliquibus festis diebus choro, & musica; videant refractarij an alium in Deum patentiorem queant inuenire pietatem.

De sæcularium Sacerdotum Collegiatis Ecclesijs non insignibus. CAPVT V.

Aliæ itidem Ecclesiæ Sacerdotum sæcularium Romæ numerantur sexdecim, quæ sunt vel nationalium, vel certè sodalitatum. quarum omnium in priori parte licèt fecerimus mentionem, hic tamen, vt in proprio loco repetendę. Collegiatæ nationalium sunt vndecim, videlicet, Teutonicorum in sanctæ Mariæ de Anima, Gallorum in sancti Ludouici, Hispanorum in sancti Iacobi Arragonensium in sanctę Marię de Monserrato; Lusitanorum in sancti Antonij de Padua. In-

subrum

ſubrum in SS. Ambroſij, & Caroli. Florentinorum in ſancti Ioannis Baptiſtæ. Britonum in ſancti Iuonis. Neapolitanorum, in ſancti Spiritus. Siculorum in ſanctæ Mariæ à Conſtantinopoli, Eccleſijs. Sodalitatum vero ſunt in ſanctiſſimę Trinitatis Peregrinorum in ſanctæ Mariæ vocabulo Laureti; in ſanctæ Mariæ vocabulo Hortorum; in ſanctæ Mariæ vocabulo Suffragij: in ſancti Hieronymi vocabulo Charitatis: in præfatis pariter Eccleſijs quotidie decantantur horæ canonicæ, ac veſpere laudes Virgini. feſtis diebus cantui additur muſicorum concentus, ſuntq; vt ſupra etiam retulimus ſufficienti presbyterorum numero ſuffultæ.

De Vrbis Romæ Paræcijs.
CAPVT VI.

Licet innumeræ ſint Romæ Eccleſiæ, in quibus fidelibus Sacramenta pœnitentiæ, ac altaris aſſiduè adminiſtrentur: nihilominus quia hoc tam in ijs, qui exhibent; quam qui ſuſcipiunt eſt prorſus voluntarium: diſpoſuere ſacri canones in ſingulis diœceſibus plures paræcias, quarum Rectores ex officio paræcis ſingulis diebus ſacrum miſſæ officium celebrare ijſdemq; Baptiſmum conferre, ac peten-

tentibus sacram synaxin exhibere: sacerdotij officio tenerentur. laicis vero præscribunt, vt saltem semel in anno Resurrectionis, videlicet Domini nostri Iesu Christi festo in propria parœcia Eucharistiam sumant, qui secus fecerit Romæ sancti Bartolomæi festo publice à communione fidelium segregatur. hac de causa quotannis exactissimus Inquilinorum Vrbis habetur census quo hoc anno 1624. reperti 113814. exceptis Hebræis, ac Rusticis, siue Agricultoribus, quibus nulla certa sedes, sed stipendio educuntur modo in hoc, modo in aliud prædium. Distributus populus in 88. parœcias, quarum nomina breuitati studens in præsentiarum omitto, non tamen ob litterandum; Rectores hosce parochialium vniuersitatem constituere, eosq; sæpius conuenire, & de rebus ad curam animarum spectantibus disertissima habere colloquia, quandoque etiam Theses Theologales publicè disputandas proponere. Nō assumuntur ad munus, nisi scientia & bonis moribus conspicui vnus; honoris causa hìc nominandus Franciscus Venantius: Rector parochialis sanctæ Mariæ in campo Carleo vir sanè relligiosus, & doctus, qui non pauca mihi, eorum quę hactenus scripsi fida relatione suggessi.

Cura

Cura Hoſpitij pauperum Sacerdotum, de quo ſupra, primæ partis capite primo, habuimus ſermonem, penes hos eſt parochialium, Eccleſiarum Rectores, Magiſtratum creant nomine Primicerium. Hic ſuſcipiendis hoſpitio, impertitur ſyngrapha, Cuſtodi Hoſpitij offerenda, qui ijs perſpectis offerentes ſine mora benigne ſuſcipit. Syngraphorum exemplum eſt.

S. S. S. S.

Tibi R. Cuſtodi noſtri Hoſpitij mandamus, quatenus viſis præſentibus, recipias in Hoſpitium ad dies quindecim R. Ioannem Philippum Grauium Burgundum pauperem Sacerdotem Peregrinum, neque audeas dimittere inconſultis RR. DD. Viſitatoribus intra dictum tempus; quo elapſo omnino dimittas, niſi fuerit prorogatum: ſolitam cœnam, qua decet charitate, miniſtres. Leges ſeruare iubeas, & diſceſſurum adire Primicerium, vel Camerarium: ita mandamus quoniam viſis literis teſtimonialibus &c. hac die

Ioannes Dominicus Rector S. Blaſij.

Primicerius S. S. S. S.

Soda-

Sodalitati, & ipsi instituto, Protector preest Scipio Card. Burghesius, qui illud, collata pecunia, auctũ & promotum cupit. Vidi constitutiones, à suscipiendis, & susceptoribus seruandas nuper editas, Christiana modestia & summa prudentia refertas. Hoc iubilæi anno, non suscipiuntur hic sacerdotes, qui vltra montes veniunt, quos omnes vsque ad vnum VRBANI VIII. P.M. sibi poscit paterna caritas, omni æuo desideranda.

De Monachorum Vrbis Romæ Cœnobijs.
CAPVT VII.

Monachorum per Italiam Congregationes sunt duodecim, qui vulgari nomine, quia eorum institutum permittit, vt fruantur annuo reditu appellantur Gaudentes. Nomen omnes deducunt, vel ab institutore, vel à primæ institutionis loco; singuli Romæ habent amplissima cœnobia. Cassinenses, qui sub regula sancti Benedicti militant, & à monte Cassino nuncupationem trahunt, duo: primũ apud sanctum Paulum via Hostiensi, alterum prope sanctam Mariam Transtiberim ad titulum Callisti; vtrumque sane eximium, & mole stupendum: postremum Pauli V. Ponti-

ficis Max. nutu ceptum, nondum adhuc perfectum. Canonici regulares diuisi sunt in plures Congregationes, quorum Lateranenses; qui à Laterano, vbi antiquitus degebant, nomen retinuere, hodie cœnobium habent in Vrbis meditullio à Sixto IV. Pont. Max. extructum, Virgini dicatum sub vocabulo Pacis. Reliqui, tria habent cœnobia, primum apud sanctum Petrum in Vincula: alterum apud sanctum Laurentium via Latina; Tertium apud sanctam Agnetem via Nomentana: profitētur regulā sancti Augustini: Cruciferi magnam ostendunt antiquitatē, auctorem instituti referunt S. Clerum Pont. Max. Petri successorē, qui cū intelligeret peregrinos & aduenas sacra loca vidēdi causa Romam, aduētantes locorum inscios per Vrbem vagari, nec de ijs interrogare quemquam audere (nondū enim Ecclesiæ erat pax reddita) ne in delatores inciderēt; cōstituit, viros quosdā insignioris pietatis, quis aduenas Christianos perquirerent, inuentos, quo libitum ducerent, quibus, vt omnis tolleretur suspicionis scrupulus: Viros præfatos insigniuit cruce, quam in interiori gestarent veste, vt ea demonstrata peregrini tutò se illis, animumq; suum propalarent. In huius rei memoriam Cruciferi, de

qui-

quibus agimus, gestant crucem non quidem ex panno, vt tunc interiori tunicæ insertam, sed argenteam in manibus, quam nusquam dimittunt. Cœnobium habent ad aquam virginem: propriam habent regulam, ex antiquitate deductam, vel certe recenter restitutam, à Cruce, quam patenter gestant sortiti sunt nomen. Camaldulenses à sacra Camaldulensis Eremo in Etruria ad radices Apennini denominationem sumunt. Institutorem habuerunt Romualdum, Benedicto militant; duo in Vrbe habent cœnobia, primum celeberrimum illud S. Gregorij, quod ab eodem sanctissimo Pontifice in paterna domo extructum asserũt, Ecclesiasticę historię Scriptores; alterum sancti Antonij ad viam latam, vtrumque sufficiẽti Sacerdotum numero ornatum. Cistercienses à Cistello in Gallia loco, quo Diuus Bernardus monasterium construxit nomen deducunt, eidemque Diuo militant; tria in Vrbe habent cœnobia singula singulis nationibus addicta; Insubris videlicet, Hetruscis, & Cisalpinis. Insubres, & Hetrusci cõmunicant in electione præsidentis generalis, qui per vices eligitur, tum ex vna, tum ex altera gẽte, & vtrique præest. Insubres cœnobiũ habent apud sanctam Crucem in Hierusalem

amplissimum sane: Hetrusci apud S. Athanasiũ ad aquas saluias martyrio Apostoli Pauli celebres, quo in cœnobio Diuus Bernardus cõscripsit librum de contemplatione ad Eugenium Pont. Max. qui ex ijsdem cœnobij monacho ad summum Pontificatum fuit assumptus. Noui inter eos viros doctos, & relligiosos quãplures, quia vtriusque familiæ caussis à pluribus annis adsum Aduocatus. Cisalpini nullam cum reliquis habent communionem; cœnobium obtinent Diuo Iuliano sacrum in monte Viminali, & quia Ordo hic in Gallijs maxime floret illinc monachus ad Vrbem transmittitur ex primarijs, qui totius Ordinis gerant negotia, & Procurator Generalis appellatur, cuius residentia apud sanctum Vitum penes Arcum Tiburtinum. Oliuetani à loci vocabulo in Hetruria nuncupationem sumũt: duas habent Congregationes, & duo cœnobia: primam instituti cognominam: vocabulo mõtis Virginis à loco similiter deducto alterã. Primi cœnobium habent amplissimum in foro Romano Virgini dicatum, Templum omnium ferè antiquissimum fuit, & ideò sanctæ Mariæ veteris indigetabatur vocabulo, quod cum vetustate ruinosum Nicolaus Primus Pont. Max. restituisset sanctæ Mariæ No-

uæ

uæ appellari iuſſit, quod nomen hodie retinet. Deinde ab ipſa Congregatione, noua ex Tiburtino lapide adiecta porticu ſumptuoſius adornatum, Diuę Franciſcę commune effectũ, paſſim relicto antiquo nomine ſanctę Frãciſcę, cuius corpus ibi requieſcit nuncupatur. Congregatio montis Virginis cœnobium habet ad radices montis Quirinalis Diuæ Agathæ ſacrum ſatis amplum: militant Diuo Benedicto. Congregatio Vallis vmbroſæ à loco in Hetruria denominatur: vbi auctore D. Ioanne Gualberto originem habuit, illius cœnobium in Eſquilijs eſt, apud ſanctã Praxedem, Templum valde auguſtum à Paſquali I. Pont. Max. extructum: militant D. Benedicto; viros habet doctos & eruditos, quos ideò probè notos habeo, quod vltra decennium congregationis ſim Aduocatus. Carthuſiani, in Gallijs auctore D. Brunone nati à loco originis ſumpſerunt nomen cęnobium habent in Thermis Diocletiani ampliſſimum ſanè, recenter extructum, cuius clauſtrum reliqua, quæ hactenus viderim latitudine longe excedit: inſtituti auſteritas admiranda, vtpote quod illud profeſſi ſæcularibus nõ colloquãtur, inter ſeſe valdè raró, clauſtri ſepta nunquã egrediãtur, carnibus non veſcãtur, & quod mirabilius eſt

duodecies in die ad psallendũ accedũt chorũ. Cęlestini auctorem habuere Cęlestinũ Pont. Max. & ab eo retinuerunr nomen, cœnobium habent apud S. Eusebium in Esquilijs: profitentur Regulam S. Benedicti: congregatio etiam extra Italiam se dilatauit: in campania tamen floret maximè. Hieronymitæ à D. Hieronymo ita dicti, eo quod regulam, vt asserũt ab eo præscriptam profiteantur. Cęnobium habent in Auentino Diuo Alexio in eiusdem sancti Paternis ædibus sacrum. Cœnobia habent opulenta per Cisalpinam Galliam, vt noui, quando eorum caussis aliquando adessem: in Hispanijs valde florent quibus cum Italis nihil commune. Siluestrinorum congregatio recentior est, vtpote quæ auctorem habuit Siluestrum monachum congregationis Vallis vmbrosæ, a qua desciuit, & particularis familiæ se præbuit auctorem. Cęnobium habet cum Ecclesia sancti Stephani del Cacco vulgo nuncupatum, quæ cum etiã parochialis sit parœciæ cura omni studio illius instituti relligiosi incumbunt. Canonici regulares S. Georgij in Alga Venetijs D. Laurentium Iustinianum Venetorum Patriarchã habuere auctorem, & ab eodem certam præscriptam regulam, cęnobium habent prope

Pon-

Pontem Aelij, sancti Saluatoris in Lauro nuncupatum; plures ex sua congregatione affirmant prodijsse summos Pontifices, quos recensere non est mei instituti; consulendus ab ijs, qui hæc scire cupiant Alphonsus Ciacconus diligẽs istarum rerum compilator. Preter has duodecim congregationes supersunt alij monaci, qui in ijs non comprehenduntur, nẽpe Græci, qui D. Basilij profitentur regulam, & cœnobium habent exiguum prope Amphitheatrum Vespasiani Pantaleoni sacrum. Fullienses, qui tria habent cœnobia vnum in Thermis Diocletiani D. Bernardo, cui militant sacrum, alterum apud S. Pudentianam ad radices Viminalis, tertium apud sanctum Sebastianum via Ostiensi à Scipione Cardinale Burghesio nuper munificẽtissimè restauratum. Anachoretæ montis coronæ, qui à Camaldulensibus habuere exordium, cœnobium habent vltra Tiberim, via quæ à longitudine, Longara nuncupatur D. Leonardo sacrum. in omnibus prædictis cœnobijs diu, noctuque decantantur horæ canonicæ, & aliæ Deo, Virgini, ac sanctis omnibus laudes, quod si pium sit, necne, vel eorumdem nouatorum relinquo iudicio. Monendus est hic lector ne offendatur si congregationes præfatas non recensue-

rim prærogationum ordine, illud enim non proposui, sed planè notam orbi reddere ingentem Vrbis in Deum pietatem, qua certè inter mortales non est inuenire maiorem.

De Fratrum Mendicantium Cœnobijs. CAPVT VIII.

Quatuor agnouit Ecclesia Catholica ante plura sæcula mendicantium ordines, Augustinianos, Dominicanos, Carmelitanos, Franciscanos: quibus paucis ab hinc annis magna facta est aliorum Ordinum accessio, recensebo igitur mendicantium cœnobia numero & loco, quibus hodie visuntur. Primi omnium sint Augustiniani, qui plura in Vrbe habent cœnobia, quorum primum prope circũ Agonis D. Augustino sacrum per amplum & percelebre, cui templum augustissimum à Card. de Estouteuilla exedificatum: Alterum apud sanctam Mariam de Populo ad Portam Flaminiam, cuius professores à D. Gulielmo illius congregationis institutore appellantur Gulielmini. Tertium recens penes S. Georgiũ in Velabro congregationis Ianuensis. Quartum exiguum apud S. Matthæum in Merulana via media inter Lateranum, & Præsepe, quo

quo loco extitisse tradunt harum rerum gnari ædes paternas Cleti Petri successoris. suscepit ordo. hic nouiter reformationem: reformati duo habent cœnobia vnum via Flaminia Diuo Antonio alterum sub Quirinali D. Nicolao dicatum. Dominicani, qui alio nomine Prædicatores, tria habent cœnobia, primum omnium celeberrimum sanctæ Mariæ supra Mineruam, alterum sanctæ Sabinæ in Auentino. Tertium sancti Sixti sub Thermis Antonianis; in quo vt plurimum degebat Ordinis institutor D. Dominicus. Seruitæ, siue serui sanctæ Mariæ amplissimum habent cęnobium apud S. Marcellum via lata; alterum apud sanctam Mariam in Via; tertium apud sanctum Nicolaum ad radices Quirinalis. Franciscani in plures familias diuisi, reliquos omnes numero tum fratrum, tum cœnobiorum excedunt. Tres eorum præcipuè congregationes, Conuentualium, de obseruantia, & tertij Ordinis. Conuentuales vnicum habent cęnobium apud Basilicam duodecim Apostolorum, & hospitium Procuratoris Ordinis prope Pontem Sixti: reformatos habent duplicis generis, alteri à pyramidali capitis tegumento, Capuccini appellantur, & cœnobium habent Diuo Bonauenturæ sacrum ad radices

montis

montis Quirinalis. alij reformati conuentuales à Sixto V. in Ecclesiam recepti,& duo habent cœnobia, primum non longe à Porta Flaminia sub inuocatione sanctæ Mariæ miraculorum,& alterum inter Quirinalem, & collem Hortulorum D. Antonio de Padua sactũ, vtrumque humile, & franciscanæ paupertati admodum corespondens. Obseruantes, qui vulgari nomine de familia sancti Francisci dicuntur,tria præclara in Vrbe habet cœnobia; primum in Capitolio sub vocabulo D. Mariæ in Aracœli amplissimum sanè, vtpote quod regulariter 200. contineat relligiosos,alterum in monte Aureo Transtiberim Principi Apostolorum sacrũ, qui eo loci passus perhibetur. Tertium in Insula Tiburtina D. Bartholomæo sacrum cuius Templum ob vetustatem ruinã minans à Gabriele Cardin. Tressio liberaliter restituitur. Huic familiæ aliquando Viceprotector prefuit Illustrissimus Cardinalis Dominicus Riuarola, quẽ eo quod eiusdem familiæ caussis ciuilibus adessem Aduocatus, sæpius conuenire necesse fuit & repperi hominem comitate, & humanitate ineffabili, ad negotia tractanda, & peragenda natum, quibus numquam quantumuis multis, quantumuis grauibus opprimitur. notaui sepius eum à mane vsque

ne vſque ad veſperam, quorumcunque ſui indigentium vacare quærelis, vt ne dum admirationi, ſed ſtupori mihi eſſet tanta magni viri patientia: redeamus ad obſeruantes, qui licet à D. Bernardino e conuentualibus reformati fuiſſent, nihilominus nuper alios admiſere reformatos, quibus cœnobium apud ſanctum Franciſcum Tranſtiberim. Profeſſi tertij Ordinis, qui Eremitæ ſancti Franciſci dicuntur; duo etiam Romæ habent cœnobia. Primum SS. Coſmi, & Damiani in foro Romano, vbi Antiquitus ſæcularium canonicorum Capitulum, quod à Sixto V. fuit ſuppreſſum, & illius prouentus Sacello à ſe conſtructo ad Præſepe applicati: Alterum ſancti Pauli in regione Regulæ. Hos præter, aliæ duę ſancti Franciſci familiæ nuperrimè in Vrbe inuenere ſedem, vna ex Gallijs, ex Hiſpania altera vtriq; Recollectorum inditum vocabulũ. Galli cœnobium habent apud ſanctum Iacobum Tranſtiberim via longa. Hiſpani à fundamentis templum, & cœnobium extruxere Diuo Iſidoro ſacrum iuxta viam Salariam. Hæc de quatuor Fratrum Mendicantium Ordinibus antiquioribus; quos multis ſæculis præceſſiſſe contendunt Carmelitæ, quibus quinque in Vrbe ſunt cęnobia tria non reformatis:

matis: reformatis duo: non reformatorum, primum, apud ſanctam Mariam Tranſpuntinam nuncupatam in Vrbe Leonina; alterum apud ſanctum Martinum titulo Equitij, Tertium apud S. Chriſogonum Tranſtiberim. Reformatorum prius cœnobium pariter Trãſtiberim apud S. Mariam vocabulo della Scala, ſecundum prope Thermas Diocletiani Diuo Paulo prius, & deinde D. Mariæ Victrici ſacrum: prodiere ex hac reformata familia multi paucis ab hinc annis maximi nominis viri, tum ſanctitate vitæ, tam Doctrina conſpicui. Nunc reliquos proſequamur, mendicantium recentiores. Trinitarij ſunt, qui in Hiſpania habuere originem, illud nominis ſortiti, quod ſanctiſſimam Trinitatem maximè venerarentur, illamq; ſermone, & ſanguine contra impios hæreticos Antitrinitarios eã negantes ſtrenuè aſſererẽt, cœnobium habent in Vrbe nuper extructum via inter Quirinalẽ, & collem hortulorum. In ijſdem regnis originem habuit congregatio ſanctæ Mariæ vocabulo mercedis vulgò redemptionis captiuorum, eo quod ipſorum inſtitutum ſit captiuos Chriſtianos, è Maurorum, ac aliorum Barbarorum manibus ſoluta pecunia liberare, in quo egregiam nauant operam, multosq; quotannis

tannis è miſerrima ſeruitute chriſtianæ libertati reſtituunt, cœnobium habent in foro Romano apud ſanctum Adrianum ad radices Capitolij, vbi antiquitus ſæcularium presbyterorum collegium, cui hæc congregatio ſubrogata. Ieſuati auctorem habuere Ioannem columbanum Senenſem, magnæ pietatis virũ, profeſſionis inſtitutum primarium fuit, ſalubrium oleorum, & aquarum quibus laborantibus ſubueniunt diſtillatio; cui rei maxime ſtudent, non tamen adeò, vt quæ propria ſunt Relligioſorum omittant. cęnobium habent apud S. Ioannem, & Paulum in monte Cęlio. Congregatio Feſulana fundatorem habuit Carolum Ramenam Comitem, profitentur regulam ſancti Auguſtini ſub inuocatione ſancti Hieronymi, cęnobium habet magnifice iam nunc à fundamentis extructum ad radices Quirinalis, iunctum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ. Congregatio beati Petri Piſani cęnobium in Vrbe habet in Ianiculo D. Honuphrio ſacrum, & Fratrum numero, & clauſtri amplitudine conſpicuum: profitetur Regulam Diui Auguſtini. Congregatio SS. Ambroſij, & Barnabæ cęnobium habet in via ſacra D. Clementi dicatum: profitetur Regulam D. Auguſtini. Ordo Minimorũ à ſancto viro Franciſco

de

de Paula traxit originem, ob animi humilitatem, professos suos minimos voluit appellari; ordo breui tempore longe, lateq. propagatus per Galliam, & Hispanias: duo habet Romæ cenobia primum nationis Gallicanæ in colle hortulorum sanctissimæ Trinitati, alterũ quod Italis, & Hispanis commune est ad radices fere eiusdem collis D. Andreæ vocabulo inter sepes dicatum. In omnibus præfatis cenobijs quotidie canuntur horæ canonicæ, & solemne missæ sacrum, cantui festis diebus adduntur organa, præter quam apud reformatos, quibus neque organa, neque cantus est in vsu, sed altiori tantum, & vnisona voce horas in suis Ecclesijs, & laudes Deo recitant. His addendæ duæ aliæ congregationes professionem regularem emittentium. Prior, seruorum languentium, B. Ioannis Colauitæ, altera Eremitarum Ascensionis, de quibus in priori parte fecimus mentionem, nec longior instituendus de ijs sermo, qui non choro, sed solæ vacant ægrotorum curæ.

De Sacerdotum, & Clericorum Regularium Mendicantium Cœnobijs.

CAPVT IX.

Primus omnium, qui Sacerdotum sæcula-

riuui congregationes instituere B. fuit Ignatius Loiola, qui ex milite Regis in Christi militem mutatus congregationem instituit, quã societatem nominis Iesu appellauit. Professionis primum institutum, adolescentes sana doctrina, ac christiana pietate imbuere, sacramento pœnitentiæ, & concionibus vacare, Hæreticis tunc magno Ecclesiæ malo pullulantibus totis viribus obstare, gentes prędicatione Euangelij ad verum Dei cultum abdicta impietate reducere. Duo hęc sodalitas, vltra collęgia, quæ altera parte recensuimus Romæ habet cœnobia. Primum prope Capitolium Nomini Iesu sacrum, amplum & structura magnificum, Odoardi Card. Farnesij munificentia perfectum, cui iampridem eius Pratruus Alexander etiam Cardinalis Farnesius Templum struxerat mole & ornatu superbum, quod domus professorum, siue professionis nuncupatur. Alterum in Quirinali, & illud valde amplum, quod duo cõtinet Templa, vnum in ipso monte D. Andreæ Apostolo, alterum antiquius ad radices montis sancto martiri Vitali sacrum: continet cœnobium, hortos, & deambulatoria, alit tyrones, qui professioni nomen dedere, ibidemq; exigunt annum probationis. Paulus IV. Pont. Max. similem

milem inſtituit congregationem cuius profeſ-ſores ab Eccleſia Theatina, quam ante Romanam Card. obtinuerat, Theatinos denominauit: Prædicationi Verbi Dei, & S. Theologiæ ſtudio vacant: qua de cauſſa idem Pont. eandem congregationem, veluti Epiſcoporũ ſeminarium ſtatuit, & non pauci in dies præficiuntur Eccleſijs. duo habent inſignia Romæ cœnobia, primum in valle ad Agonem, cui Alex. Card. de monte Alto in ingens faſtigium exaltatum adiecit Templum Diuo Andreæ Apoſtolo ſacrum. Alterum in monte Quirinali Diuo Silueſtro Papæ dicatum. Sanctus Philippus Nerius Florentinus congregationem pres byterorum Romæ inſtituit, quam ab oratione cui plurimũ vacauit Oratorij appellauit, cuius hactenus ſæpius fecimus mentionem: in eam qui aſciſcuntur afferunt ſecũ dotem, qua commodè, & honeſtè ſubſtentari valeant; vnde cum nullius indigeant nemo penes eos hæredipeta, aut qui quicquam à quoquam petat. Cęnobium habent celeberrimum in Vrbe & Templũ Diuæ Mariæ vocabulo de Vallicella, & Gregorio ſacrum, Cęſiorum Petri Donati Card. & Angeli Epiſcopi Tudertini munificẽtia valde prouectum, vt ex inſcriptione frontiſpicio Eccleſię appoſita.

Cœsij

Cœsij Fratres.

Petrus Donatus S.R.E. Presbyter Card. Templi Apsidem fundauit, ædes multas coemit Sacerdotum habitationem ampliauit.

Angelus Episcopus Tudertinus Sacellum extruxit & dotauit, anteriorem Templi partem fundauit, ornauit, perfecit.

Congregatio Clericorum Regularium sancti Pauli originem habuit anno Domini 1533. auctore Clemēte VII. duo habet Romę cœnobia primum DD. Blasio, & Carolo sacrū Theatinis ferè contiguum, cuius templum in ingens etiam excreuit fastigium, alterum in foro Antoni ni Diuo Paulo Apóstolo dicatū. Gentis institutum: vacare concionibus, & sacramentorū administrationi, Barnabitæ vulgò nuncupantur à S. Barnaba Christi discipulo. Clerici Regulares Minores duo similiter habent cœnobia; primum apud S. Agnetem in circo Agonali: alterum apud S. Laurentiū titulo Lucinę, suppresso per Paulum V. Canonicorum quod ibi erat Collegio & dote, sacello ab eodem ad præsepe extructo addicta: vacant studio Theologiæ, & Sacramentorum

altaris & Pœnitẽtiæ administrationi; originẽ habuere sub Sixo V. auctore Augustino Adorno. Aegrotantium ministri de quibus secunda parte plura retulimus; cœnobium habent propè Pantheon Magdalenæ sacrum: horum, vt diximus, præcipuus scopus est infirmis & agonizantibus assistere, eorumq. animarum saluti intendere, Auctorem habuerũt Camillum Lellum sacerdotem Theatinum, crucem gestant in pectore, superiori tunica e panno coloris subfului, qualem Cruciferos antiquitus gestasse ex vetustissimis monumentis elicitur. Clerici Regulares Congregationis Sommascæ ab originis loco hoc nomine nuncupatæ vltra collegium cui præsunt Clementinum: de quo secunda parte, cœnobium habent prope forum Antonini in mõte Citorio, vulgo dicto, S. Blasio sacrum, aeris salubritate clarum. Presbyteri Regulares Cõgregationis Lucensis principium habuerunt anno Domini 1574. Auctorem Io. Leonardum Lucensem, tria in Vrbe habent cœnobia; primum apud S. Mariam in Porticu, cuius mentio est in prima parte; alterum prope Aquam Virginem Assumptioni B. Virginis sacrum; tertium recentius non longe à rupe Tarpeia Cõceptionis eiusdẽ V. dicatũ, vacant audiendis

dis pœnitentium confessionibus. Congregatio Sacerdotũ expositioni Cathechismi præfectorum, quem vulgus doctrinam Christianã vocat, cœnobium inuenit apud S. Agatham Transtiberim prope Diuum Martyrem Chrisogonum: illius institutum explicauimus secunda parte, hic neutiquam repetendum. Cõgregatio Clericorum qui publicis præsunt scolis nuperrima inuẽta, cuius munus in præcedenti parte etiam satis expressum, cœnobium habet prope circum Agonis apud sanctum Pantaleonem. Oblatorum S. Caroli cęnobium est penes hospitium Ambrosij & Caroli via lata, de quo priori parte habuimus sermonem; hi nullam emittunt regularis obseruantiæ professionem, sed licitum ijs quandocumquę recedere, at dum manent superioritati ex præscriptis regulis obediunt. His addendi Regulares Sacerdotes S. Spiritus in Saxia, qui alba cruce Hierosolymitana insigniũtur in pectore, & professionem emittunt regularem, instituto consonam: cœnobium habẽt apud idem Xenodochium S. Spiritus in Saxia. In omnibus hisce cœnobijs, quotidie canuntur horæ canonicæ, præterquã apud eos, qui alteri operi ex professo iuxta institutum addicti, vtrique vacare nõ valẽt, ex his videre

est Vrbem Romam plures habere excubitores, vt illam quandocumque Dominus venerit non inueniat dormientem.

De Mulierum, & Virginum Monasterijs.
CAPVT IX.

Fragilem Mulierum in negotijs ciuilibus, ac rebus militaribus sexum: esse & relligione, ac sanctitate conspicuum, multis contra Archilogos scripto comprobat egregia Mulier, Moderata fons; vt silentium Momis indixisse videri possit. Et hoc ipsum ne alios quæramus luculento testimonio affirmat, apud quam non est mendacium sancta Mater Ecclesia. Romæ sanè mulierum & Virginũ Monasteria sunt regularis disciplinæ valde, obseruantia, ac morum sanctitate conspicua. Inter reliqua regulæ austeritate excellunt Capuccinarum in monte Quirinali sanctitate eximiarum, quæ perpetuum obseruant ieiunium, & nunquam post susceptum habitum a quoquam visuntur. Regula ferè est eadem, ac Fratrum Capuccinorum, nisi quod in hoc strictior, quod esum excludat carnium, & quotidianum perpetuum præscribat ieiunium. Conceptionis Virginis in Monte Auentino,

tino, quod ipſum etiam Moniales ſuas nullius obtutui obijcit, in reliquis nec admittit ſtrata, aut pannos ex lino ad inſtar Capuccinarum, ſed earum lectulus, aut ſaccus ſtramineus, aut nuda tabula. S. Mariæ Magdalenæ in monte Quirinali ordinis Prædicatorum, cuius ſanctimoniales in ſumma auſteritate & obſeruantia, vitam degunt angelicam, nec vnquam alicuius, quantumuis ſanguine proximi patent aſpectui. Carmelitarum diſcalceatarum apud S. Egidium Tranſtiberim, quæ idem habent ferè inſtitutum, quoad regulæ auſteritatem, licet in alijs varient: horum quatuor Monaſteriorum profeſſæ, nunquam ne noctu quidem regularem aſperrimum habitum dimittunt, eo conuigilant, eo condormiunt, quod ſanè delicatioribus præſertim Virginum corporibus non poteſt eſſe niſi permoleſtum. Sancti Laurentij in Pane & Perna in domo Neronis, antiquitate venerabile licet amplo cenſu dotatum, regulam tamen D. Claræ ſtrictiori obſeruantia præſcriptam adimplet, reliquis tribus præceptis ferè in omnibus ſimile. Plura alia Monaſteria militant Franciſco, licet non tanta vitæ auſteritate, exacta tamen Regulæ obſeruantia. Sancti Silueſtri in Campo Martis. Viſita-

tionis Beatæ Virginis in Monte Citorio. S. Bernardini ad radices Quirinalis. S. Cosmati. S. Margaritæ, S. Apolloniæ, & S. Ruffinæ Transtiberim. Sancti Iacobi de Murattis. S. Vrbani in foro Neruæ. S. Euphemiæ in foro Traiani. S. Claræ in Theatro Marcelli Monasterium domus piæ vulgo appellatum, D. Dominico militant. S. Sixi in Quirinali omnium quę viderim monasteriorum amplissimum. S. Catherinæ Senensis, & Mariæ Magdalenæ, de quo mox memini in eodem colle. Præsentationis Virginis, Cathecumenarum, in foro Neruæ. S. Dominici ad radices quirinalis. S. Appolloniæ Transtiberim. Bernardo militant, Monasterium S. Susannæ ad tres domos sanctitate Monialium Vrbi conspicuum, & S. Annæ vltra campum Floræ. D. Augustino ad instar Canonicorum regularium militant: Monasterium Spiritus sancti, in Foro Traiani, & S. Ambrosij in Foro Piscium. Regulam Carmelitanam a Diua Theresa præscriptam vltra S. Egidij de quo supra, seruat Monasterium sancti Iosephi, & hoc monialium sanctitate notum. His accedant Monasteria sanctæ Luciæ in Silice, & SS. quatuor Coronatorum via sacra, Obseruantia regularis disciplinæ, & antiquitate clara.

Mona

Monasterium sanctæ Cæciliȩ Transtiberim, Expositarum sancti Spiritus in Saxia, S. Mariæ in Campo Martis, cui Virgines Cōstantinopolitanæ excisa a Turca vrbe illa dedere principium. Et Antiquissimum sanctæ Franciscæ Turris Speculorum nuncupatum in quo profitetur primaria nobilitas, ideò fortassis, quia nunquam admisit clausuram: sed antiquissimum seruat institutum, vt illius professæ, parentes casu necessitatis possint inuisere: omnia prædicta Monasteria solas admittunt Virgines. Præter quæ tria easdem excludunt. Primum S. Mariæ Refugij nuncupatum, eo quod Viduæ honestæ, consanguineis quibus cum habitare possint destitutæ ad hunc locum tutum, habeant tanquam ad Asilum refugium. Alterum S. Crucis Transtiberim via lunga, de quo prima parte facta mentio mulierum pœnitentium, & deliberantium. Tertium valde celebre S. Mariæ Magdalenæ via lata, Meretricum miserrimum vitæ genus deponentium, Conuertitarum communi vocabulo notatum: in singulis hisce Monasterijs vltra particulares sanctimonaliū pro fidelibus ad Deum preces ad præscriptū Ecclesiȩ diu, noctuq; canuntur horæ Canonicæ, nō minori ac in Virorū cœnobijs deuotione & decore.

De Laicorum sodalitatum & Confraternitatum Oratorijs. CAPVT XI.

Magnus est Laicalium sodalitatum in Vrbe numerus, quæ non modicam præseferunt erga Deum Pietatem, & Charitatem in proximos: has in duas diuidam species; quarum prima vtitur talaribus, saccis vulgo nuncupatis, & functionibus publicis collegialiter interest; altera quæ ijsdem non vtitur, sed tantum priuatæ vacat functioni. Vt a posteriori incipiamus sub illa continentur Confraternitates nationalium, Teutonicorum, Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Aragonensium, Illiricorum, Britonum, Ligurum. S. Saluatoris ad sancta Sanctorum. S. Bernardi in Foro Traiani, & Vrbis Curialium sub titulo Charitatis apud S. Hieronymum, SS. duodecim Apostolorum, Sancti Iacobi Incurabilium, Cathechismi siue Doctrinæ Christianæ, & aliorum de quibus facta mentio in priori parte. Illis accedant societas Anteambulonum apud S. Annam in vrbe Leonina; Statuariorum, & Lapicidarum apud SS. quatuor Coronatos. Tonsorum apud S. Blasium. Pharmacopolarum apud S. Laurentium in

Foro

Foro Romano. Pictorum apud S. Lucam ad Arcum Seueri. Pistorum Teutonicorum apud S. Elisabettam ad Campum Floræ. S. Nicolai Mercatorum Belgarum, in S. Laurentij titulo Damasi, vbi quæ sequitur inscriptio:

D. O. M.

Diuo Nicolao Pontifici Patrio ad vota Supplicum facillimo Belgici mercatores Diuitijs subinde fortunisque aucti hoc sacrum Pietatis gratitudinis ergo dicarunt.

Anno Sal. M.D.VII. Iul. II. Pont. Max.

Aurificum apud S. Egidium ad radices Vaticani. Textorum apud S. Mariam Angelorũ Reginam in Foro Neruæ. Famulorum Palatij Apostoloci apud S. Martham in Vaticano. Caudatariorũm S. R. E. Cardd. apud S. Mariam titulo Puritatis. Sutorum apud SS. Crispinum & Crispinianũ Trãstiberim. Prægustatorum apud S. Elenam. Lanificorum sub inuocatione SS. Blasij, & Ambrosij, apud S. Luciam via obscura. Scribarum sub inuocatione SS. Ioannis Baptistæ & Euangelistæ, ac Nicolai apud S. Thomam in regione Parionis. Nummulariorum sub inuocatione sancti

Mar-

Matthæi apud S. Laurentium titulo Damafi. Libratorum ænei fulminis, ſub inuocatione S. Barbaræ apud S. Mariam cognomento Tranſpontinam. Nundinatiorum apud S. Sebaſtianum prope forum piſcium. Bibliopolarum apud S. Thomam de Aquino inter Sartores. Stabulariorum ſub inuocatione ſancti Iuliani apud S. Euſtachium. Pomptuariorum apud S. Mariam Vocabulo Cacubaris in Regione Regulæ. Pellionum ſub inuocatione ſancti Ioannis Baptiſtæ apud S. Pantaleonem ad circum Agonis. Piſcatorum apud S. Angelum in foro piſcium. Caduariorum apud ſanctam Mariam in Capella ad ripam Tiberis. Omnium prædictarum ſodalitatum confratres occupantur feſtis diebus in ſingulis operibus Charitatis, vt qui pauperes puellas dotent, egenos eleemoſinis ſubleuent, carceribus ex cauſa ciuili detentos ſtipe collata auxilientur, infirmos ſuæ Congregationis viſitent, mortuos ſupremo officio mandent, ac pro eorum animis Deum culparum vindicem exorent. Singulę præfatarum ſodalitatum licet omnia prædicta exequantur, particulari tamen pietatis operi, quod congregandi dedit cauſam pręcipue vacant, nullo reliquis impedimento allato. His accedant

recen-

recentes ſodalitates; Angeli Cuſtodis, quæ templo iam nunc fundamenta iecit apud aquam Virginem. Plagarum Chriſti quæ oratorium incepit D. Philippo Nerio dicatum: & Agonizantium in Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ apud Pantheon; quorum inſtitutum agonizantibus opem cœleſtem implorare, qua re nihil vnquam inuentum religioſius. Altera ſodalitatum ſpecies eſt priori amplior, vt ex numeri ſupputatione liquebit: In vna Eccleſia ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam, quinque inſtitutæ reperiuntur laicorum ſodalitates: Prima Virgini Annunciatæ ſacra ſub anno Domini 1439. Altera Roſarij Virginis de anno 1481. Tertia ſacratiſſimę Euchariſtiæ de anno 1543. Quarta ſanctiſſimi nominis Ieſu cæpta ſub anno 1558. Quinta Saluatoris ſub anno 1597. Quatuor ſimiliter reperiuntur canonicè erectæ ſodalitates in Eccleſia ſancti Laurentij titulo Damaſi: videlicet ſodalitas ſanctiſſimi Corporis Chriſti, Conceptionis B. Mariæ Virginis, Puritatis, & iubilum eiuſdem Virginis: & in reliquis Vrbis Eccleſijs pene innumeræ. Teutonicorum altera apud ſanctam Mariam in Campo ſancto, in ſanctæ Marię Hortorum, in S. Rocchi in Campo Martis; in ſanctę

Marię

Marię vocabulo Laureti in Foro Traiano: in ſancti Angeli ſub hac inuocatione in Vrbe Leonina, in ſancti, Iacobi a Scoſcia cauallo ſub titulo ſanctiſſimi Sacramenti altaris in eadem Vrbe Leonina: in ſancti Blaſij in Campo Martis ſub hac inuocatione: in ſancti Marcelli ſub titulo Crucifixi via Lata, in ſanctæ Mariæ in Porticu ſub vocabulo Conſolationis & gratiarum: in ſancti Iuliani ſub hac inuocarione inter nummularios; in ſancti Gregorij ſub hoc titulo ad ripam Tiberis: in ſancti Petri in Vaticano titulo Corporis Chriſti, & eiuſdem tituli in ſancti Chryſogoni Tranſtiberim: ſanctę Marię Mōtis Carmeli apud ſanctum Martinum titulo Equitij: ſanctę Marię Planctus, ſiue lachrymarum· ſanctiſſimæ Trinitatis conualeſcentium, & peregrinorum: ſanctæ Mariæ titulo pietatis in Foro Antonini; ſodalitas Orationis, ſiue mortis ſacramenti altaris in SS. Celſi & Iuliani, & ſanctæ Mariæ & ſanctæ Cæciliæ Transtiberim. In ſancti Quirici, in ſancti Andrææ inter ſæpes, ſanctæ Mariæ in via lata, in ſancti Nicolai, in ſancti Laurentij titulo Lucinæ, in ſanctæ Mariæ titulo Agrippæ, in ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, in ſancti Blaſij de annulo, hodie trāſlata in

apud

apud S. Carolum, & in sancti Augustini vbi etiam alia sub inuocatione sanctæ Apolloniæ. Deinde sodalitas Pietatis in carceratos, & suffragij in mortuos, Stigmatũ sancti Frãcisci: SS. Vrsulæ, & Catherinæ in foro Antonini, & quæ antiquitate has omnes antecedit, societas Confalonis. Quibus iungendæ, sodalitas Coquorum sub inuocatione Virginis Annuntiatæ ad ripam Tiberis. Laniorum in Ecclesia B. Mariæ de Quercu. Sartorum sub inuocatione sancti Hominiboni ipsorum Aduocati prope velabrum. Lignariorum apud sanctum Iosephum ad radices Capitolij. Aurigarum sub inuocatione sanctæ Mariæ Reginæ Angelorum. Singulæ prædictarum sodalitates exercitium habent in omnibus operibus Christianæ pietatis, & quamplurimę ipsarum licet fundatæ sint in prænominatis Ecclesijs; habent tamen separata oratoria ad instar Ecclesiarum, in quibus singulis festiuis diebus decantant horas Canonicas Diuæ Virgini sacras, quia laicis apud Orthodoxos in Ecclesijs psallere non est permissum. Neque Mulieres, hoc christiano exercitio destitutæ; antiquissima enim fuit mulierum instituta sodalitas in Ecclesia sancti Augustini sub inuocatione B. Monacæ matris D. Augustini,

gustini: nec recentior est sodalitas Florentinorum titulo Misericordiæ, quæ præcipuas admittit matronas, & quarum curæ committuntur sontes mulieres capite plectendæ: Tertia est recentior fundata in parochiali Ecclesia SS. Simonis & Iudæ sub titulo Virginis. His omnibus vna mens est precibus & pijs operibus Deum mundo propititium reddere, & proximum in singulis necessitatibus quoad fieri potest præsentissimè adesse. Proferant quid simile in medium Nouatores: exemplo se reformatos in melius ostendant, qui antiquam omnem Christianam pietatem abrogantes, omnia ab Orthodoxis rectè facta fastidiunt, noua sacra (si quę apud ipsos sacra) pia vetustate reiecta solummodo amplectuntur, & adeò nouitati student, vt si nupero addatur inuētum recentius, iam illud, priori reiecto, amplectēdum, quia magis nouum. Mirandū sanè quod qui pręscriptione tuentur agrum, fundum, domum, præscriptam tot sæculis fidem, adeò facilè reijciant, & omnem antiquam sanctitatem ac sapientiam floccifaciant; & quo tandem impulsore? homine impurissimo; homine vel apostata cucullato vel in petitione beneficij repulsam passo, retulit mihi magnus in Ecclesia Antistes

tiſtes, Dionyſius Archiepiſcopus Lugdunenſis eſſe in ſua diœceſi nobilem, quendam cuius pater rogabatur a Nouatoribus, vt ad ipſos & eorum tranſiret impietatem, illumquè tum vice verſa rogaſſe: qui vultis ſuſcipiam fidem quæ me ipſo eſt iunior? Noui ego Ioannem Vgonem Caluinum, immo cum annis elapſis ob negotia familiaria Pariſijs hærerem ſortitus ſum, cum homine idem diuerſorium & idem cubiculum; vbi tunc ille noctu narrare cuias eſſet, & quid negotij Pariſijs: Iudicarunt (inquiens) Iudices mihi canonicatum, quem impetraueram non adiudicandum, & quidem iniuſtè: ſed ſentient magno Galliæ malo, quantus Vir ſiet Caluinus: præſtitit Vir nequiſſimus, ſiue potius immane monſtrum quod animo conceperat, & nobiliſſimũ ac opulentiſſimum totius orbis Regnum ciuilibus ob religionem bellis fere ad internecionem deleuit, ſed iam fauente Diuina clementia optimi ac Maximi Regis virtute huic vulneri obducitur cicatrix.


De

De alijs Vrbis Romæ Summi Dei, Sanctorumq; templis in nulla prædictarum Classe comprehensis. CAPVT XI.

Præter templa & Ecclesias Vrbis hactenus enumeratas, plures aliæ cernuntur quæ certa classe vix possunt compræhendi, huius generis sunt multæ Patriarchalibus & Collegiatis Ecclesijs vnitæ, vt S. Ioannis ante portam Latinam, sanctæ Sabæ, sanctæ Balbinæ, sanctæ Bibianæ, ac plures aliæ; Procuratorum Ordinum Oratoria, diuersorum Religiosorum priuata hospitia, in quibus omnibus (licet non existat numerus aptus Collegio) quotidie celebratur sacrum Missæ officium ab vno vel pluribus sacerdotibus. Hoc sine nota nō prætereundum in vnica Vrbe septuaginta duo reperiri templa Deiparæ Virgini dicata, & tam ista quam reliqua omnia, sacra suppellectile, religiosissimè esse ornata, contra quā ac Puritanorū indecoræ Orationum domus, quæ priuatis eorumdem ædibus longè sunt abiectiores, cum tamen nulla vnquam fuerit barbara natio, quæ cultum in Deos exterioribus signis non demonstraret: Iconoclastis, in hoc deteriores, quod nec simplicissimum admittaut

taut

tant ſacræ Crucis ſignum. Gens iſta cum primum facultatem obtinuiſſet condendi Pariſijs huiuſmodi orationis ſeu potius impietatis domum operis artificem vocauit in iudiciũ, quod tectum Crucis ſigno rubris,& viridibus tegulis diſtincto communiſſet , hoc in deriſum & contumeliam reformatæ religionis aſſerens effectum. Reſpondit Artifex , immò ſe honoris cauſſa id feciſſe, quia videret ædem Virginis ſummam,ac ipſum Regis palatium Crucis ſigno notatũ,& ſi ſciuiſſet gentẽ iſtam Cruci inimicam,nec lapidẽ quidem pro ea poſiturum fuiſſe.




DE PIETATE ROMANA THEODORI AMYDENI

PARS QVARTA.

Quæ polyticam Vrbis administrationem complectitur.

De Summo Pontifice, eiusq. Consistorio.

CAPVT I.



D Pietatem spectare polyticam Reipublicæ administrationem, vel ex eo conuincitur, quod Charitatem potissimum cõcernit in proximum, alteram Pietatis partem: hinc legem à charitate proximi alienam, non solum dicimus iniustam, sed impiam; quia videlicet offensio proximi nequit esse absque læsione pietatis. In optima ciuitatis administratione Vrbs Roma cęteras omnes longe antecedit Respublicas. Summa rerum apud

Ro-

Romanum Pontificem, qui cum duplicem gerat personam Patris, siue Pastoris communis totius Ecclesiæ Catholicæ, & Principis dominij immediatè Ecclesię subiecti, nec singula ad vtriusque administrationem spectantia per seipsum gerere valeat, plures in vtroque munere habet administros præcipuè S. R. E. Cardinales, quorum ope & consilio vtitur varijs nominibus. Primò & principaliter conuocato Patrum Senatu, quem consistoriũ vocant, in quo Pontifex publicare solet grauiora negotia: cum statum vniuersalis Ecclesiæ, tum particularis dominij concernentia: super ijs rogare patrum sententias, & deinde quod facto opus deliberare: & quia consistorium huiusmodi vix singulis hebdomadis cõuocari valet, & incidunt quandoque negotia, quæ expeditione indigent celeriori pręponitur ijs particularis quædam conscriptorum Patrum congregatio, qui sæpius conueniant, & de gestis, ac decretis Pontificem certiorem reddant, penes quem Decretorũ exequutio. Alijs negotijs quorum frequens in dies euentus, & quæ integrum Senatum nõ merentur, Xistus V. præposuit plures S. R. E. Cardinalium cõgregationes partim ad Ecclesiasticam spectan. disciplinam, ac ipsam penitus reli-

gionem christianam, partim ad ciuilem administrationem. Prima relligionis negotio Præposita censetur sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis, in qua discutiuntur, & examinantur omnes insurgentes cõtra fidem Catholicam, ac in eam peccantes puniuntur. Conueniunt Patres singulis Mercurij, & Iouis subsequenti coram Summo Pontifice, exponuntur acta & gesta in congregatione inter eos habita. Altera est Illustrissimorũ Patrum sacri Concil. Trid. Interprętum, penes quos facultas eiusdem Concil. Trid. sanctiones, quo ad exequendi modum interprętari. Huic congregationi asscribuntur Patrum doctissimi, & Secretarius illi deputatur scientia clarus. Tertia congregatio Ecclesiasticis ritibus est præposita, cuius curæ commissum corrigere si quid in eos peccatum, & superstitioni ac cultui exteriori in Catholica Ecclesia non admisso obuiã ire. Quarta congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium est præposita, inter quos cum multæ quotidie oriãtur difficultates, nec expediat eas solemni iudicio terminare, facultatem habet hæc Congregatio illas sine figura iudicij, vel dirimere, vel componere. Quinta congregatio librorum, qui in dies imprimuntur reuisioni

incum-

incumbit, quos impios iudicat, reijcit, ac Orthodoxorum lectioni interdicit, eorumq. cognomina catalogo librorum prohibitorum asscribit; ac ob id congregatio Indicis nuncupatur: Sexta congregatio de Fide propaganda nuper à Gregorio XV. fuit instituta, cuius præcipuum munus hereticos, & scismaticos ad sanam doctrinam reuocare, bonæq. menti restituere, celebratur bis in mense, & semel coram summo Pontifice. Septima congregatio, quæ ab immunitate Ecclesiastica nomen sumpsit institutorem habuit Vrbanum VIII. (cui diutina salus) Pont. Max. in ea referuntur contentiones super iurisdictione inter Regum, Principumve Ministros, & Episcopos, siue Ecclesiasticos viros, ac illud præcipuè curat, vt Ecclesiastica libertas à quouis onere temporali sit immunis; & hæ quidem congregationes concernunt statum vniuersalis Ecclesiæ, quibus adduntur aliæ amplectentes regimen temporalis dominij: quarum prima sacræ Consultæ denominatione cohonestatur à Diuo Carolo Card. Borromeo in hanc quam hodie tenet formam redacta: hanc consulunt omnes & singuli temporalis dominij Rectores, & Præsides in omnibus grauioribus negotijs, siue criminibus,

& facinoribus, quæ contingunt in prouincijs. Conueniunt Patres singulis Martis, & Veneris in Palatio Apostolico, leguntur Præsidum Epistolæ, illisq. rescribitur, & præscribitur quid in re consulta agere expediat: Altera temporalis Dominij congregatio nuncupatur boni Regiminis, huius curæ incumbit prouidere, ne bona cõmunia Ciuitatum, Vrbium, Castrorum, Villarum, ac locorum dominij Ecclesiastici dilapidentur, sed conseruentur in vsus siue proficuos, siue necessarios. Postrema congregatio insignitur titulo grauaminũ, non quod grauamina inferat; sed quod supplices aduersus grauamina à Magistratibus, siue potentioribus illata restituat. Singulæ Congregationes proprium habent Secretarium, penes quem rescriptorum registrum, ac Epistolarum cura· plures habentur ab inferioribus Magistratibus quotidie Congregationes, sed Illustrissimorum Cardd. solummodo in præsentiarum recensere proposui. eæ cum sint non paucæ, & plures amplissimi Patres diuersis Congregationibus ascripti, non est profecto quod otio marcescant.

De Ministris Pontificijs in Palatio Apostolico degentibus. CAPVT II.

Non hic de famulis quorum ingens, verum necessarius in Palatio Apostolico est numerus sermonem habebimus, sed de Ministris muneri alicui, quod publicam spectat vtilitatem Præpositis, quorum præcipui qui Pontifici sunt a secretis, qui pro negotiorum diuersitate distincta inter se habent munia: omnium maior est, qui sine alio addito nuncupatur Secretarius Papę, hic omnes recipit ad Pontificem tam Principum, quam sedis Apostolicæ Nunciorum, ac aliorum quorumcumque datas litteras: super ijs Papam consulit, ac ijsdem ad ipsius mentem respondet, plures iuxta molis exigentiam in munere habet substitutos. Alter Secretariorum nuncupatur memorialium, quia supplicum recipit libellos eosque Pontifici perlegit ac rescriptum Pontifice dictante apponit, officium hoc a multis annis administrat Præfectus Cubiculi, cuius apud Principem longior mora. Tertius nuncupatur secretarius Bræuium, qui secretioribus, & sub annulo Piscatoris expediendis præest diplomatibus. Quartus publicis re-

ſpondet legationibus. Quintus reſcripta ſacræ Conſultæ prouincijs, & gubernatoribus impertitur, eorumque ſingulas recipit epiſtolas. Secretarijs ſaltem primo excepto maior eſt S. D. Papæ Datarius collationi Eccleſiaſticorum, ac conceſſioni quarumcumque gratiarum Pontificium Præpoſitus; ſingulis profeſtis diebus ſanctiſſimum conuenit, eiq; ingentem ſupplicũ libellorum numerum ſignandorum proponit, ſignatos refert ac Miniſtris Datariæ expediendos diſtribuit. Plures in officio habet adminiſtros, quorum primus ſub-Datarij nomine inſignitur; alij gratiarum reuiſores dicuntur. Palatium Apoſtolicum habitant, eiuſdem Sacri Palatij Magiſter & Sacriſta, primus ex ordine Prædicatorum, Alter ſancti Auguſtini. Primò incumbit reuiſio librorum & ſacrarum imaginum prelo cudendarum, nec non omnium & ſingulorum librorum peregrè Romam aductorum, quos ſummo ſtudio examinat ne quid peruerſæ doctrinæ furtim irrepat. in hæc quos deliquiſſe nouit, digna animaduerſione vti ordinarius Iudex corripit, in Theologorum collegio, ac publicis collationibus primum, & in Pontificijs ſacris inter Auditores Rotæ ſecundum locum obtinet. Præficiuntur

muneri

muneri non nisi summæ auctoritatis viri & doctrinæ: Alteri cura est sacra suppellex. His accedit S.D.PP. Auditor qui caussarum in Signatura gratiæ coram Sanctissimo proponendarum & resoluendarum, informationes, voce & scriptis a partib. collitigantibus, acceptas D. Papæ refert. Munus apud Principem præcipuum semper summis iniungitur viris.

De Ministris Papæ in Palatio Apostolico non degentibus. CAPVT III.

Nullum Principum præstantioribus domi, forisque fulciri ministris Romano Pontifice non absurdum fuerit audacter affirmare: dicti rationes non deducam ne præscriptum transgrediar institutum præter ministros Vrbanos Apostolica sedes indiget alijs, qui foris rem gerant, quorum præcipuus Pontificis turmarum Dux cui omnis armorum, ac Militiæ cura, & subsunt vltra quingenti Militum Tribuni, ac Centuriones per loca opportuniora Dominij Sedi Apostolicæ immediatè subiecti dispositi. Alter est Arcis siue molis Hadriani Præfectus, cuius fidei & custodiæ commissa, illique parent plurimi cum milites tum ministri. Tertius est Pontificiæ

Classis

Classis Præfectus; cuius curæ commissum Romana littora à Piratis & Prædonibus tuta reddere, eaque triremibus custodire. Quarto loco sunt Prætorianorum cohortium, Centuriones ad Principis custodiam deputati, qui nulli parent superioritati præter quam ipsi summo Pontifici. His omnibus amplum stipendium, quo magistratum cum decore sustineant. Cæterum, quia Vrbs Roma, omnium communis parens, pietate potius quam armis rem gerit, parum præfati Ministri in munere habent negotij, licet ex maiestate sit, eos in omne tempus substinere.

De vtraque Romani Pontificis Signatura.
CAPVT IV.

Causæ omnes ad Romanã curiam spectãtes duplici committũtur signaturę rescripto, quarũ prior Gratiæ, alterũ Signaturæ Iustitiæ nuncupatur. Prima habetur coram summo Pontifice illique pręest Card. titulo Pręfecturę, qui impertinentes libellos sæpius Sanctissimo expositos & reiectos, nisi nouę pro ijsdem adducantur rationes non admittit: proponuntur libelli a Referendarijs per vices & tribus per singulas Signaturas, quorum

rum quilibet decem refert Commissiones quinque, legali vocabulo, contentiosas, & quinque gratiosas. Contentiosę dicuntur licet indigeant gratiam Principis, quæ habent contradictorem, vt sunt deficientium sollemnitatum iuris suppletio: rescripta & diplomata prædecessorum Principum ex noua superueniente causa impugnandi facultas, & similia quæ lex scripta non permittit. Gratiosę sunt quę nulli inferunt damnũ aut pręiudicium, vt dubiarũ Testatorũ mẽtium interpręrationes, certarũ ex caussà derogationes, absolutiones, & similia, quę Dataria publicę coram Principe digna cẽset relationi Signaturę huic assidet, ne dum Cardinalis præfectus, sed aliquot alij à Sanctissimo deputati tum Cardinales, tum ex numero Referendariorum, qui curiali vocabulo nuncupantur Votantes, qui rogati à Principe in caussis dubijs dicunt sententiam. Altera Signatura quę Iustitię dicitur, singulis ferè hebdomadis habetur coram Cardinale qui illi pręest titulo Pręfecti: ad hanc spectat committere appellationum caussas, executiones sententiarum differre, iurisdictiones Iudicum decernere, prout lex scripta & Iustitia postulat. Singulis referendarijs integrum est, binas Com-

missiones

missiones proponere super quibus votantes dicunt sententiam, & ad eorum vota notantur rescripta. Tribunal hoc supremæ esse auctoritatis, vel ex eo liquet, quodnulla caussa cognoscitur nisi ex illius præscripto; qui sentẽtias dicunt sunt numero duodecim variæ & multæ doctrinæ viri, inter quos honoris causa nominandi Aloysius Guiciardinus, Scipio Vicecomes, Albertus Balleonus, & Mangionus. alij suo recẽsendi loco Cardinali Præfecto tunc demum ius dicẽdi sententiã quando Votantes in suffragijs sunt pares nec inter se conueniunt, quo casu illi omne defertur suffragium. Hoc difficillimo magistratui ea sapiẽtia, & integritate plures annos functus est Sanctissimus D. N. Vrbanus Papa VIII. vt posteriori hoc & Maximi nomine meruerit insigniri. & hodie illi hoc in munere successit Illustrissimus Franciscus Card. Barberinus predicti Sanctissimi D.N. ex fratre nepos, qui nostram de eo conceptam spem neutiquam reddit inanem.

De

De S. R. E. Vicecancellario, & Magistratibus ab eo dependentibus.
CAPVT V.

Licet singuli Vrbis Magistratus dependeant à voluntate Summi Pontificis tanquã vnici, & supremi Principis, reliqui tamen præter enumeratos vt plurimum connexionem quandam habent, vel cum Cardinale S. R. E. Vicecancellario, vel certè cum Cardinale S. R. E. Camerario. Prioris antiquior memoria apud S. Hieronymum in Epistola ad Gerontium, qui magistratum hunc obijsse creditur. Et licet hodie summa illius sit potestas; antiquitus tamen longe excedebat, vtpote quia solus Cancellarius præstabat, quod hodie Pontificis Secretarij, & Datarius: Lucas de Pennà Epistolam refert B. Isidori, in qua describiiur huius magistratus auctoritas: ab ipsius origine non conferebatur nisi Cardinalibus. Benedictus VIII. diplomate indulsit, vt nulli alteri quam Cardinali S. Rufinæ conferendus esset, quod breui transiuit in desuetudinem, cum Alexander II. eundem conferret alterius tituli Cardinali: Gregorius VIII. qui Magistratum

tum hunc ante Pontificatum Cardinalis obtinuerat omnium primus contulit, non Cardinali nempe Canonico cuidam Lateranensi, qui ob reuerentiam prædecessorum non vt illi, Cancellarium, sed Cancellarij Vices agentem se dicebat; quę dictio paulatim coaluit in Vicecancellarium. Bonifacius VIII. Magistratum restituit Collegio Cardinalium, illumque contulit Riccardo Petronio Senensi Compilatori sexti Decretalium, hic antiquioris instituti, vel ignarus vel immemor licet Cardinalis, improprium Vicecancellarij retinuit nomen, quo & hodie crasso errore deturpatur, licet diuersi diuersas denominationis & quidem ridiculas afferãt rationes. Sane extant penes me tria autographa diplomatum Alexandri Tertij, & Hadriani Quarti, quibus post Pontificem & reliquos Cardinales subscribit Cancellarius, videlicet Dat. Lat. per manum Rolandi S.R. E. Presbyteri Card, & Cancellarij. Alphonso Ciaccono per omne id tempus, non Vicecancellarij, sed Cancellarij sunt. Cancellarij primus Minister est Cancellariæ Regens, deinde litterarum Apostolicarum Abbreuiatores, post sacri Collegij Notarius, & alij multi, quos prolixum esset recensere. Præter auctoritatem

Mini-

Miniſtrorum prę̨eminentiam quandam habet
in ſuprema Vrbis Tribunalia, nempe in Sacrę
Rotę, cuius Auditores non niſi prę̨uio coram
ipſo admittuntur examine. Tribunal hoc ſiue
Iudicim auctoritate Iudicij conſideres, ſiue
Iudicum dignitatem ſpectes eſt planè totius
orbis celeberrimum: auctoritas quidem
late ſe pandit, quippe quæ vniuerſum Chri-
ſtianum comprehendit orbem, e quo cauſę
beneficiales, & ad forum Eccleſiaſticum
ſpectantes per appellationem ad illud deuol-
uuntur, vltra ciuiles dominij Eccleſiæ imme-
diatè ſubiecti,& extra dominiũ inter Magna-
tes & Potẽtes,qui aliũ ſuperiorẽ nõ recogno-
ſcunt. Iudices verò integritate conſpicui eam
ſcientiã habẽt & prudẽtiã,cui nulla poteſt fie-
ri acceſſio, proprie dicã: muneri parem. finxit
oculata vetuſtas, poſt Aſtreæ in Cælum ra-
ptum Iuſtitiam terras deſeruiſſe: quod ſi ali-
qua remanſit orbi, eam non in alio quam
hoc tribunali cenſeo reperiri. ſunt Patres nu-
mero duodecim,quorũ;nomina honoris & re-
uerẽtiæ cauſa decretum hic apponere. Io. Ba-
ptiſta Coccinus Venetus,Rotæ decanus, Sa-
crę Pœnitẽtiariæ Præfectus, ſiue Regens. Al-
phõſus Manzanedo de Quinones Hiſpanus e
Regno Caſtellæ Patriarcha Hieroſolymitanus
Io.Ba-

Io. Baptista Pāphilius Romanus Sedis Apostolicæ in Regno Neapolitano Nūcius. Iacob. Caualerius Romanus Sanctissimi D.N. Vrbani Papæ VIII. Datarius. Philippus Pirrouanus Mediolanensis. Franciscus Vbaldus Perusinus, Fabritius Verospius Romanus Vmbriæ & Perusiæ Præfectus. Mattheus Burattus Bononiensis. Gulielmus Dunozet Gallus Episcopus Seleuciensis. Io. Baptista Remboldus Germanus. Clemens Merlinus Gregorij XV. quondam Datarius Foroliuiensis. & qui designatus, sed nondum in Collegium ascitus Paulus Durandus Hispanus ex Regno Arragonensi. Eandem quam Cardinalis Cancellarius in Rotæ Auditores præeminentiam in Concistorialis aulæ habet aduocatos, qui eo coram subeunt idoneitatis examen. Cancellarij auctoritatem agnoscunt Iudex Confidentiarum & Auditor contradictarum non spernendi in Curia Magistratus. Demum cū quamplurima sint in Curia Romana officiorum Collegia, nullum eorum est, quorum aliqua non sint vti sedi Apostolicæ ita muneri Cancellarij affecta, quod nulli alteri contingit Magistratui.

De S.R.E.

De S. R. E. Cardinale Camerario, & Magiſtratibus ab eo dependentibus.
CAPVT VI.

Camerarij munus licet vetuſtatem Cancellarij non attingat, eſt tamen perantiquum cuius curæ commiſſus publicus Eccleſiæ cenſus, vnde maximam tũ domi tum foris exercet Iuriſdictionem: innumeri prope ſubduntur illi auxiliares magiſtratus. Omniũ præcipuus Gubernator Vrbis, qui Vicecamerarius nuncupatur: Iuriſdictionem habet in maleficos, & facinoroſos, ne dũ in Vrbe, ſed in toto illius diſtrictu, multos alit aſtitores, apparitores, relatores, ſcribas, ſatellites, Indices, & eius generis hominum plures. Hi omnes Vrbem & vicos tanta diligentia, à ſicarijs, & latronibus curant, vt nuſquam terrarum tutius quam in Vrbe domicilium, diu, noctuque longe ſecurius inermem quam armatum deambulare. Gubernatori in dignitate ſuccedit Auditor Cameræ, ne dum Vrbis & dominij Eccleſiæ immediatè ſubiecti, ſed omnium Clericorum Chriſtiani Orbis quauis dignitate Fulgentium tam in ciuilibus, quam criminalibus cauſſis competens iudex: duos

O iam

iam pridem AC. præcipuos ſub ditione ſua habebat Iudices, quos vulgari vocabulo Curia Romana vocat locumtenentes. Vnum in Iudicijs ciuilibus, alterum in Iudicio criminum. Verũ cum ciuiles cauſæ adeo excreuerint, vt vnus tanto oneri par non ſit Sanctiſſimus D. Noſter Vrbanus, vt litigantibus & iudiciorum breuitati conſuleret, duos creauit locum tenentes ciuiles, vt muneris diuiſio faciliorem reddat litium finem. Qui hodie hanc obeunt prouinciam, Viri ſunt doctrina eximij: Alexander Bigus, & Camillus Meltius. Multos habet Auditor Tabelliones actuarios, aliosquè in munere miniſtros quos breuitatis ſtudio prorſus omitto. Qui ſequitur Magiſtratus Cameræ Apoſtolicæ dicitur Theſaurarius huic magna auctoritas, quia apud eum ratio totius patrimonij Eccleſiaſtici ſpoliorũ prouentus, quibus ipſe per prouincias ſyngrapho deſtinat Collectores; ſequuntur Cameræ Apoſtolicæ Clerici ad inſtar Rotæ numero duodecim, quibus ſimiliter iuriſdictio eximia. Primò quidem Vrbis curant œconomiam, quæ cum in multis conſiſtat pro vt non pauca requiruntur, ad commodum, victum humanum neceſſaria; aliquot inſtituunt munia ſiue officia, quæ inter ſe iuxta cuiuſ-

cuiuſcumque genium diſtribuunt. Vnum Vijs ac Pontibus reficiendis præficiunt; Alteri annonæ cura committitur; Tertio carnium procurationem imponunt; & ſic ſingulis ſingula. Horum cura fit, vt nullius rei vnquam in Vrbe ad mortalium victum ſpectantis ſit penuria; Secundò Eccleſiæ penum quibus poſſunt modis, honeſtis tamē ſummo ſtudio ſeruant, & augēt; Tertiò cauſarum, quę cōtra Camerā, vel pro Camera introducuntur ſunt Iudices: ex præfatis magiſtratibus quemadmodum ex Sacro Rotæ Auditorio multi in Cardinalium Collegium ob diutina ſtudia coaptantur. Ad Cameram ſimiliter ſpectant Procurator Fiſci; ſontium terror, & Procurator peculij priuati, qui vulgo Camerę Commiſſarius, cui additur cauſſarum camerę Aduocatus. Hi omnes regulariter bis conueniunt in hebdomade, & quid vtile, quid expediens, quid demum optimo regimini conſentaneum exactis argumentis diſcutiunt. In cauſſis tamen Iudicialibus ſolis Clericis duodecim viris illis ius dicendi ſententiam, reliqui conſulunt, & quid ſentiant opportune ſuggerunt. Camerarij munus in præſentiarum exercet Illuſtriſſ. Hippolytus Card. Aldobrandinus Clementis VIII. ex

ſorore pronepos Vir magni ingenij, & ad quæque aptus licet ardua.

De Card. D. PP. Vicario.
CAPVT VII.

Licet Romanus Pontifex non vnius Vrbis, ſed totius & vniuerſalis Eccleſiæ ſit Epiſcopus, & vt loquitur Canon Ordinariorum Ordinarius: particularem tamen in Vrbe gerit Paſtoris curam, vnde ad inſtar reliquorum præſulum in hoc munere adſciſcit, ſibi ex Cardinalibus Vicarium: qui Iuriſdictionem in Vrbe ciuilem & criminalem exercet in laicos & clericos, quoſcunque, ſeculares & regulares, in moniales, in meretrices, in Hebręos tanquã in miſerabiles perſonas. Præcipuus curarũ ſcopus Eccleſiaſticã diſciplinã verbo & exemplo ſartam tectam ſeruare, in id leges dicere, in tranſgreſſores animaduertere. Duos habet præcipuos in munere auxiliares ſubſtitutos, primum Viceſgerentis vocabulo notant, alterum Iudicem Vicarij dicunt: Priori incumbit Monaſteriorum, Eccleſiarũ, & regularis diſciplinæ procuratio, ac in vniuerſum vt ſupra iuriſdictio: Poſterior Iudiciales cauſſas inter huic Iuriſdictioni ſubiectos

ctos iudiciario ordine præſcriptis legibus terminat. Hos præter Vicarius tertium habet Iudicem, videlicet maleficiorum, & illi neceſſarios ſubſtitutum, tabelliones, aſtitores, & ſatellites. magiſtratum ſumma laude gerit cuius in prima parte fecimus mentionem Cardinalis Millinus.

De Cardinale Summo Pœnitentiario.

CAPVT VIII.

Cum omnis ſoluendi & ligandi poteſtas Romano Pontifici Chriſti in terris Vicario non ab homine, ſed à Deo tributa ſit, idque Vniuerſalis Eccleſia tot ſeculis conſtantiſſimè docuerit, malò genio agunt nouatores nuper exorti, qui pręſua amenti ſuperbia omnem antiquitatẽ floccifaciunt. Sanè ſi ratione agerent a tantorum ſententijs patrum, tot ſeculis firmatis non recederent vel ſi prorſus deſipere propoſitum: cum antiquitate & relligionis nomen abijcerent, aliaquè ſacra quærerent, vel certè quiſque ſe ſibi Deum ſtatueret, vel denique prorſus eum in corde ſuo abnegaret. Neque enim maior ratio cur potius Chriſtum Dei Filium, quã quæ catho-

lica præſcribit Eccleſia vera non eſſe credant. Diuinitas Chriſti aſſeritur Euangelio,& eodẽ Petri poteſtas,in vtroque verax, vel in vtroq; mẽdax. at illud de poteſtate Petri indiget interpretatione: nullus ſim ſi verba vtriuſque aſſertionis cõparentur, eandem non habeant vel obſcuritatẽ,vel claritatem. ſed linquamus ex voto cæcutientes & reuertamur ad Pontificem, qui in abſolutionis munere habet delegatum ſummum Pœnitentiarium vnum ex Cardinalibus, cui demandata ampla hęc vt mox dicemus prouincia: ſi prius muneris Originem paucis inueſtigauerimus. Initium verò ſumpſiſſe videtur temporibus SS. Cypriani & Cornelij circa annum Domini 200. quo cum Chriſtianorum nonnulli metu mortis Idolis ſacrificia obtuliſſent, & diſſidium ortum in Eccleſia an facinus detestantes recipi deberẽt, quod diſſidium Nouatiano ſciſmati cauſſam dedit: vicit eorum ſententia: qui recipiendos dicerent, ſed conſtituti ſacerdotes qui admiſſæ culpę pœnitentiam iniungerent hi à munere, Pœnitentiarij dicti ſunt. Summi autem Pœnitentiarij munus inſtitutum volunt alij vt Panuinus a Gregorio X. alij cum Gomeſio in præfatione ad regulas Cancellariæ à Benedicto XII. Vtriuſque

ſenten-

sententiæ fides apud suum sit auctorem: antiquissimum esse non dubitamus. Pœnitentiarij auctoritas maxima, vt qui facultatem habeat à Pontifice sibi delatam, absoluendi à quacunque labe etiam ipso summo Pontifice reseruata. ne magnam prouinciam solus obeat adiunctos habet aliquot assessores qui Vicariam illi nauant operam: & quia ex vniuerso Orbe scripto deferuntur casus: quorum resolutio ad summũ spectat Pontificem, plures habet scribas qui libellorum responsa, occlusis mandant epistolis: rogantibus quocunque terrarum, nulla mercede recepta, transmittendis.

Munus igitur Pœnitentiariæ obitur primò per Card. Pœnitentiarium cui immediatè subest S. Pœnitẽtiariæ Regẽs qui est loco Vicarij, & cui imponitur tota difficillimorum negotiorum sarcina. Deligitur ad id ex Rom. Curiæ Præsulibus vir morum sanctitate & litterarum scientia vndequaque conspicuus. Vtrique horum tũ adsunt, tum subsunt Consultores, Theologus, Canonista, Datarius, Corrector. Præpositi totidẽ diplomatũ scriptores expeditioni libellorũ a summo Pœnitentiario siue Regente per verbũ: *Fiat de speciali mandato sanctissimi*. Signatorum libelli hac nota

ſignati traduntur correctoribus , quos correctos ijdem porrigunt ſcriptoribus vt diplomata ſuper ijs conficiant, confecta parti petenti, ſiue agentibus nihil penitus pro labore, nec quidem pro papyro, ſiue alijs ad confectionem diplomatum neceſſarijs (in quibus non parua inſumitur pecuniarum ſumma) recepto, obſignata reſtituant. Iuriſdictioni ſummi Pęnitentiarij, parent Pęnitentiarij minores per Vrbis Patriarchales (de quibus cap. 7. ſecundæ partis habuimus ſermonem) diſpoſiti, magiſtratus hic trecentis ab hinc annis non niſi Cardinalibus collatus eſt, licet ante id temporis ſolitus eſſet conferri extra collegium. Plures eo functi, ad ſummum aſcendere Pontificatum, & non pauci diuorum catalogo aſſcripti, inter quos diuus Raymundus de Pennafort. Beatus Nicolaus Albergatus Card. ſanctæ Crucis in Hieruſalem nuncupatus, & nuper ſanctus Carolus Borromeus Card. ſanctæ Praxedis.

De

De Prothonotarijs Apostolicis.
CAPVT IX.

Prothonotariorum Apostolicorum munus in Vrbe antiquissimum à D. Clemente tertio Petri successore fuit institutum. horum prouincia erat martyrum acta in annales redigere, & hodie in canonizationibus sanctorum conficiunt processus, ac rogitum exhibent quandocunque D. Papa magnum quoddam aut singulare, seu ipse perficit, seu perficiendum mandat. Clemens Octauus cum Ferrariæ inter Philippum III. Hispaniarum Regem & Margaritam Austriacam Matrimonium publicasset. hanc rem inter acta publica redigi voluit à Maphæo Barberino tunc Prothonotario Apostolico hodie summo Orbis bono ad supremum Pontificatum, cui salus & vita euecto. Prothonotarij nullam in Vrbe exercent Iurisdictionem, sunt tamen non minimæ auctoritatis, vt qui in Curia maximam habeant præeminentiam, & facultatem creandi Doctores & Notarios, quod vt faciant egrediuntur Vrbis mœnia, quia in Vrbe non concessum.

De Populi Romani Magistratibus. CAPVT X.

Romanum Pontificem esse Vrbis Dominum iustis nominibus adeo demonstratum à multis est, vt de eo ambigere sit nefas: Vnde licet ratione huius principatus inuecti fuerint noui magistratus, non tamen prorsus populo abrogati priores, cui ius potestatemque, saluam omnes vsque in pręsentem diem voluere Pontifices. Populi Romani Magistratus sunt plures; quorum primus qui Vrbis dicitur Senator, huic adiuncti tres caussarum Iudices, duo ciuilium, qui Collateralium notantur vocabulo, tertius criminaliũ caussarũ. Senatori facultas est in sontes etiam capitis pœna animaduertere, vnde armatam habet familiam, fiscum, scribam. Ciuiles caussę inter ciues Romanos coram Senatore, eiusquè agitantur Collateralibus, a quibus singulis datur appellatio ad Capitaneum quem vocant Appellationum Romanorum similiter magistratum a quo rursus prouocatur ad Senatorẽ & Collaterales Iudices non vti singulos, sed tanquam vniuersos qui sæpius pro caussarum cognitione conueniunt conuentusquè hic patrio

trio vocabulo Affettamentum nuncupatur. His omnibus in Capitolio ſedes. Senatorem hac tempeſtate agit Baldus Maſſeus Camers olim mihi in Aduocationis munere amiciſſimus collega, cuius nomen huic inſertum eſſe operi quod ſæpius mihi commendauit omninò opportuit. Alius Romanorum præcipuus magiſtratus eſt Vrbis Conſeruatorũ in locũ antiquorũ Conſulũ ſubrogatorum, quorum curæ cõmiſſi Vrbis muri, aquęductus, & quæcunque ruinoſa extat vetuſta moles. Edicunt ne quis mechanicorum mercem cariori quam præſcripto pretio diſtrahat, pondera & menſuras curant; in delinquentes animaduertunt citra tamen capitis pœnam. Mortuo Pontifice per interregnum omnem rempublicam concordi cum ſacro Collegio voto adminiſtrant. Magiſtratus confertur in ſolos tres menſes, qui tamen ad alios tres ſimiles ſolet prorogari.

Qui hodie magiſtratum hunc gerunt, & conatui meo addiderunt calcaria innominati prætereundi non ſnnt, ſed honoris & obſeruantiæ cauſſa eorum nomina apponenda:

Curtius

CVRTIVS SERGARDIVS
RAPHAEL CASALIVS } CONSS.
FRANCISCVS CATALANVS

FELIX AMATORIVS CAP. REGION. PRIOR.









Eiuſ-

Eiusdem Romani Populi magistratus sunt Magistri viarum, quibus cura ne quis vicinum, altius tollendo domum opprimat, lumen demat, solum occupet, viam publicam impediat. Pontes curant, plateas, & vias publicas, quas vna cum Clerico Cameræ ad id designato, vbi opus reficiunt. Et ne rusticorum prædiorum in pomerio limites termini & sepes, transgrediantur à potentiori vicino: præpositus illi curæ magistratus, qui magister Iustitiarius dicitur, cui in prædictis omne imperium. multum Vrbi commoditatis & vtilitatis simul affert qui eam secat Tiberis, ne dum lintribus, sed maioribus scaphis & celocibus nauigabilis, quibus è Mediterraneo subducuntur ad fluminis ripam quamplurimæ merces, nautis præpositus Romanus magistatus, qui dicitur Camerarius Ripæ, hic inter nautas, vectores, & cum ijs habentes dissidia ius dicit, & quamcunque super portorio aut re simili differentiam ex templo & breui manu dirimit.

De Gubernatore Vrbis Leoninæ.
CAPVT XI.

Vrbs Leonina vulgò nuncupata Borgo, de qua hactenus sæpius mentionem fecimus

vt

vt est Tiberis amne a reliqua Vrbe diuisa, ita proprium & separatum habet Rectorem, amplissimus est magistratus, & qui Pontificis consanguineis vt plurimum solet deferri: omnem illic exercet Iurisdictionem, nedum ciuili Iudicio sed criminali, habetque idem ius gladij in hac Vrbe, ac in reliqua illius Gubernator & deputatos ad id Iudices, carceres, satellites, actuarios, scribas.

De Curia Sabellorum. CAPVT XII.

Sabellicæ familiæ vetustum decus hinc elucescit quod in Vrbe Roma, vbi solus Princeps Papa: a quo cæteri dependent magistratus a multis annis in sontes & noxios exercet Iurisdictionem. Iudicem deputat familiæ senior, qui proprium habitat palatium, in quo carcer, milites, scribæ, & actuarij: habet ius gladij ad instar reliquorum Iudicum, nulliquè paret nisi supremo Principi, cui actorum reddit rationem, stipendium tamen & Magistratus prouentus spectat ad nominantem Sabellum.

Ex his videre licet quot Custodibus tranquilla reddatur Vrbs, qua nullum sanè aliud tutius domiciliũ. Nec est quod admittãtur leges, sed criminentur mores, sanctiones princi-

pum,

pũ, populi ritus sãctissimos esse, sed male à magistratibus administrari. Quãdo nõ potentior in Iudicio præualet? quando vincitur Fiscus, aut Camera succumbit? rarò fateor: sed anne hoc ipsum cuicumque imperio non commune? quotusquisque Magistratuum vel in Republica optimè constituta, ita munus exercet suum vt ius & ratio postulat? non plus loci potentiæ quam æquitati tribuit? si vniuersum percurramus Orbẽ inueniemus pauciores qui publico quam sibi litent. sed hæc perpetua mortalium praua conditio, vt quod optimum, ratione commodi proprij vel non agnoscant, vel agnitum respuant. Vnde (si videris inquit Ecclesiastes) calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non miréris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij. & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti; reprehendi magis istæc possunt, quam emendari. Non negauerim magistratus iniuncti muneris quandoque oblitos, ea perpetrare quæ nisi cum rubore possunt narrari, sed si Pontifices iniuriam resciuerint male actorum dant debitas pœnas: nonne & non semel vidimus magnæ auctoritatis magistratus in-

ter

ter nebulones ad triremes protrudi? aliorumquè ceruices præſcindi ? illud in vniuerſum audacter affirmo nuſquam terrarum iuſtitiam minus lædi, quam Romæ: vbi facillimus cuicumque vel infimæ ſortis ad Principem recurſus: quo freno ſuopte ingenio mali retinentur in officio velint nolint. Neque obijciendæ litium ciuilium longæ & intricatæ ambages, vt quandoque ſatius ſit ſemel ſuccubuiſſe, quam viciſſe ſæpius; & ſeuera truciaquè Iudicum criminalium ſupercilia, & propemodum triſtis inhumanitas. Nam quod ad lites attinet, earum natura eſt vt quamfacilè ſumant principium, eo difficilius recipiant terminum. Inſtat victus iterum audiri, nouas ſibi & non deductas obueniſſe rationes & iura: ne fiat iam impotentia Iudicis cœlum pertingit; iniuſtitia baratrum offendit. quis ergo modus? nempe hic, vt audiamus querentem, illiquè indulgentiam potius præbeamus quam adhibeamus fidem. Reorum Iudices aſpectu tetri ſi vultui ſimiles non addant mores, agunt officium; ſagax antiquitas reis iudicãdis præfecit Aeacum Minoem Rhadamantum; non Eurialum, Adonidem, Narciſum: illisquè præpoſuit Plutonem, non Apollinem, quis ſontes benigne ducit excipien-

piendos? quis iudicibus permittit comitatem? si rem metiamur apta linea reperiemus congruentem: Verum ista, sæculum potius, quam gentem aut imperium respiciunt, de quo remissius quærere hominis est parum sapientis. Ne dicas (inquit idem Ecclesiastes) cur tempora ista peiora sunt prioribus? stulta enim est huiusmodi interrogatio, quia quod fuit, futurum est, nihilq. sub sub sole nouum. Deceptus Flaccus cum caneret.

Aetas Parentum peior auis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nam licet per determinatas temporum periodos sęcula reddantur infœlicia modo, modo beata; nullum ex his stabile, aut firmũ, sed vt omnia in orbis agũtur modum, ita hæc istis & ista his succedant necessum est. Sanè si longe retroactorum reuoluamus temporum annales, liquebit ex ijs præsentis seculi mores esse in omnibus meliores, cui nec vocabula relicta sunt eorum, quæ tunc perpetrabantur scelerum. Vrbani VIII. debebitur felicitati, vt periodus hæc diu sistat, ac quem voluit gyrum in perfectius vergat. Hunc Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ nobis omnibus orbi vniuerso diutissimè seruet incolumẽ.

De

De Audientia Magistratuum coram summo Pontifice quibus ius gladij, & in sontes animaduersio.

Inter plures quos enumerauimus magistratus qui reos plectunt, aliqui dicuntur Iudices Ordinarij, Præfectus Vrbi, siue Gubernator, Auditor Cameræ, Vicarius, Populi Senator, & Gubernator Vrbis Leoninæ. Hi singulis hebdomadis stato die ordinariam coram summo Pontifice habent Audientiam, ipsumquè omnium quæ in eorum geruntur tribunalibus reddunt certiorem, quos habeant carcere detentos, quibus pro delictis, quid reus fassus sit, quid testibus probatum, nulli infligitur pœna, (saltem grauis) nisi hoc Pontifici adamussim fuerit expositum. Pontifex nunquam pœnas auget, sed easdem vt plurimum mitigat, & quando atrociora incidunt ne iustitiam subuertat, magistratuum iudicio animaduersionem secundum leges relinquit. quos iterum, atque iterum monet, caueant à sæuitia, & ne quemquam quouis prætextu, vel in minimo scientes, vel incuria lædant. Recensendum hoc loco antiquissimum Aulæ Pontificiæ institu-

tum,

tum, cuius caussam existimo non omnibus notam. Pontifex cum Regum Oratoribus, siue Cardinalibus recenter in sacrum Collegium coaptatis, publicum Concistorium præscripta consuetudine exhibet, & eos aliquando per aliquot temporis spacium præstoletur necesse sit: ne quicquam otio detur Aduocatorum Concistorialis Aulæ vnus coram eo luculentam, quà atrocissimum quodque fingit crimen habet orationem, patrem à filio immanissimè peremptum, fratrem à fratre veneno sublatum, stuprum virgini indignè extortum, vim impotenter illatam, maiestatem summo scelere læsam. Propositum casum multis rationibus exaggerat, vt Pontificem ad vindictam iuxta leges impellat.

Et hoc non alia de caussa quam vt Pontificibus suo ingenio mitibus aculeos acuat, eisquè legum seueritatem Vrbi togatæ necessariam etiam atque etiam conficto scelere commendat, vt si postea quid simile verè contingat sacerdotali pietate contrarium suggerente inultum nō prætermittant. Et hęc quoad Vrbem Romam; quod verò ad prouincias illi subiectas spectat, illas diuersis præsidibus commissas supra ostendimus: quibus ius quidem, sicarios, homicidas, aliosquè

delin-

delinquentes vinculis coercendi, processum in eos fabricandi, non tamen ex lege animaduertendi; Vnde processum transmittunt ad sacram Consultam, de qua supra habuimus sermonem, quem Illustrissimi Patres subtilissima indagatione examinant, eoquè examinato, contra vel pro reo decernunt. Decretum Patrum, Secretarius refert Sanctissimo, qui quãdoque ex caussa sibi bene visa illud moderatur, immutat, vel penitus tollit, & demum non nisi eo sciente & conniuente sortitur effectum. Ex his lector videas licet, quam pro miraculo habendum sit summum Pontificem tot curis distentum, parua quæcunque ad salutem mortalium spectantia, nedum aduertere, sed summo studio curare, vt relligiosè credi possit, eum (nisi præsentius assisteret Numen) tot laboribus mortalem excedentibus, imparem fore.

LAVS DEO.

